



(6271)

Bryllupsskikke i mange Lande.
Herunder ogsaa om Musikken og
Musikinstrumenter; Konkubiner,
Polygami, Bigami, o. m. a.

IOACHIMI HILDEBRANDI
S. THEOL. D. ET SS. ANTIQ. IN
ACAD. IVLIA ORDIN.
PROF.

DE NVPTIIS VETERVM CHRISTIANORVM LIBELLUS.



HELMESTADII,
Typis & Sumptibus HENNINGI MVLLERI
ACADEMIAE TYPOGR.

CIↃ IↃ C LXI.



DEO OPT. MAX.

SACRUM

NVPTIISQVE AVSPICA-
TISSIMIS

GENEROSI, PRÆNOBILIS ET
MAXIME STRENVI
DOMINI

HILDEBRANDI CHRISTOPHORI AB HARDENBERG,

HÆREDITARII IN HAR-
DENBERG, GEISMAR ET
WIDERSTET

SERE-

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

CHRISTIANO LUDOVICO

DUCI BRUNSU. ET LUNEB.
AB INTIMIS CONSILIIS, ET
MAGNI PRÆFECTI,
VIRI DEO, PRINCIPI, PATRIÆ
DEVOTI,
PRUDENTIA CONSILIORUM ET DIVINA HUMANAQUE SAPIENTIA NON MINUS AC STEMMATIS ANTIQUI NOBILITATE ILLUSTRIS

HUNC DE VETERUM
CHRISTIANORUM NUPTIIS
LIBELLUM

DO DICO CONSECRO

ET


DE SECUNDIS NUPTIIS
EX ANIMO GRATULOR
EIQUE AC GENEROSÆ EJUS CONIUGI
VITAM LONGÆVAM
VALETUDINEM INTEGRAM,
CONJUGIUM CONCORS, TRANQUILLUM,
LIBERIS, PARENTUM ÆMULIS,
FÆCUNDUM

PRO-

PROSPEROS RERVM OMNIVM
EVENTVS
ET QVICQVID BONI DIVINA BENEDICTIO
IN PIOS CONJVGES CONFERRE
VNQVAM POSSIT
CANDIDE APPRECOR.
VERBO:
MORE MAIORVM
FELICITER! FELICITER!
PVBLICE ACCLAMO
IVXTA AC NOVVM, QVI IMMINET, ANNVM
PLVRESQVE SVBSEQVENTES
EX OMNI IPSORVM VOTO
SVCCEDERE
NVPTIALI HAC STRENA,
QVA PAR EST REVERENTIA OPTO.
DE CÆTERO ME MEOSQVE COMMENDO

IOACHIMVS HILDEBRANDVS D.

*Helmstadi in Acad. Iulia XI. Kl.
Ian. A. CIↃ IↃ CLXII.*



Benevolo Lectori

S. D.

Semestre jam est, cum Promotio Nuptiis conjuncta in Facultate Theologica me Decano ageretur, in quo actu dicendi argumentum & Professioni meæ & Nuptiis Doctoratui annexis congruum de NUPTIIS VETERUM CHRISTIANORUM delegi. Rogatus postea, ut habitam Orationem typis ederem, commodùm intellexi, Generosum Dn. AB HARDENBERG solemnes denuò Nuptias meditari, cui ob merita Viri publico scripto gratulari fas duxi. Loco igitur Orationis, hunc, quem vides, libellum Sacris Nuptiarum Antiquitatibus implevi. Tibi, B. L. facilius fuerit eum legere, quàm mihi colligere, cùm nemo mihi ad manus fuerit, cujus vestigiis insistere potuerim, cæteris ferè omnibus circa Doctrinam Conjugii vel causas casusque matrimoniales vel Nuptias Gentilium, Græcorum

rum aut Romanorum occupatis, nisi quod nonnulli SS. Patrum de Nuptiis dicta & instituta quædam obiter immisceant, perinde uti & in hoc opusculo de Nuptiis Judæorum & Paganorum nonnulla sunt inserta ideo, quòd primi Christiani ab his & illis ritus non paucos in Ecclesiam derivarint. In hanc curam incubui, ut argumentum à nemine hactenus (quod equidem sciam) ex professo traditum ἐν ἐπιτομῇ Studiosis SS. Antiqq. constaret & libellus LECTV JVCVNDVS SCITVQVE DIGNVS esset. Quid præstiterim, Tuum erit, B. L. arbitrari. Materiæ nobilitas, utilitas, amœnitas suspensâ hederâ non indiget. Rectissimè P. Cypræus in Proœmio eruditi de Iure Connubiorum *Tractatus:* Quicquid circa NVPTIAS studii insumitur, ad VNIVERSVM pene GENVS HVMANVM spectat, *cujus dicti memor vale nostrisque conatibus porrò fave.*





SYNOPSIS LIBELLI.

DE

Dignitate Nuptiarum.
Nuptijs Canæ Galilææ.
PriſcisHæreticis, Nuptiarũ hoſtibus.
Secundis Nuptijs variæ Patrum ſententiæ.
Secta Nuptiatorum.
Abelonijs extra Nuptias uxoratis.
Nuptijs Clero olim conceſſis, & vitio datis Epiſcopo.
Subintroductis vel Extraneis.
Prolifico Cælibatu Pontificiorum.
Sponſalibus Veterum.
Sacerdotibus ante Nuptias conſultis
Formula: *Petere maritum à vidua.*
Nuptijs Chriſtianorum cum Infidelibus.
Nuptijs inceſtis ac veterum circa eas diſciplina.
Nuptiis Cognatorum Spiritualium.
Calumnia circa Nuptias inceſtas.
Polygamia ſimult. Patrum judicia.
Bigamia ſeculo IV. conceſſa.
Polygamia adhuc inter Abaſſinos.
Conſenſu Parentum.
Pauperibus per Nuptias evectis.
Arrha Sponſalitia.
Arrha Spiritus.
Annulo Pronubo, ubi multa de Annulis Veterum.
Oſculis nubentium.
Oſculo myſtico.
Oſculis impudicis.
Iunctis Sponſorum manibus.
Tabulis Matrimonialibus.
Dote & more dotandi.
Sponſalibus ex Iure Canonico.
Mora Sponſalibus & Nuptijs interpoſita.

DE

Abuſibus in Sponſalia invectis
Nuptijs per certa anni tempora v.g. Quadrag & Advent. prohibitis.
Solenni Profeſſione Nuptiarum vel Denunciatione.
Sponſa ſolenniter excepta.
Nuptialibus ornamentis.
Velo & velamine Sponſæ.
Velamine Sponſarum Chriſti.
Nuptijs Livonicis.
Nuptiali Vitta & Reticulo.
Nuptijs Pontificijs.
Nuptialibus Sertis & Coronis
Hierologia vel Copula Sacerd. ejusque origine, cauſis, neceſſitate.
Abſtinentia primæ noctis.
Concubinatu olim permiſſo.
Matrimonijs Conſcientiæ.
Secundis Nuptijs olim non benedictis, tamen benedicendis.
Veterum Nuptialibus Oblatis.
SS. Euchariſtia Sponſis data.
Faculis ad Nuptias accenſis
Solennibus Nuptiarũ apud Græcos, Abaſſinos, Ruſſos, Armenios.
Convivio Nuptiali, excluſis Presbyteris.
Muſica Nuptiali, vocali & Inſtrum.
Carminibus in Nuptias olim confectis.
Choreis Nuptialibus.
Conjugibus poſt Nuptias tota vita abſtinentibus.
Divortijs & Repudijs Veteris Eccl. doctrina & praxis.

DEO



DEO AVSPICE!

DE

NUPTIIS VETERUM CHRISTIANORUM.



Enerabiles esse Nuptias ex primo earum instituto constat, cùm Auctorem habeant, à quo nil nisi sancta sunt & AVGUSTA omnia dicente Psalte: *Magna opera Domini, Gloria & decor opus ejus*! interprete B. Luthero, was er ordnet/ ist löblich vnd herrlich Ps. 110, 2. Inter has Dei constitutiones Nuptiæ primo ferè sunt loco. Hæc enim in *Paradiso*, cum ipsa mundi origine, in *Innocentiæ Statu*, mali omnis experte cæperunt. Eadem Nuptiarum Dignitas in N. T. ab Apostolis, quorum plerique Nuptiis copulati, variè commendatur. Magno sane nuptis honori est, quòd D. Paulus in Nuptiis SACRAMENTUM vel ut rectiùs loquar, MYSTERIUM Vnionis Christi cum Ecclesia idque *ingens* collocet Eph. 5, 52. quas MYSTICAS, imò & PERSONALES Nuptias Sapientissimus mortalium, imò Dei Spiritus cælesti Epithalamio in Cantico Canticorum veneratur. Et quid manifestius illo Apostoli: HONORABILES SUNT NUPTIÆ IN OMNIBUS! Ebr. 13. 4. ut proinde in illustri argumento, dum NUPTIAS VETERIS ECCLESIÆ proponimus, nos versari dubium sit nullum. Dignitas Nuptiarum

Ipse. D. N. JESUS CHRISTUS, à quo tanq. Fundatore Ecclesiæ omnis orthodoxa antiquitas dependet, Nuptias ho- Christi in Nuptiis præsentia.

A nora-

notavit. Ex Virgine enim ſponſa & conjugio deſtinata naſci voluit, ut cum è conjugali thoro naſci non deceret, honorem tamen, quantum poterat, Nuptiis deferret. Adulta ætate ſub ipſa miniſterii primordia Nuptiis Canæ Galileæ cum matre & diſcipulis interfuit, dicente Evangeliſta: *Die autem tertio factæ ſunt Nuptiæ in Cana Galileæ & erat mater Ieſu in Nuptiis. Vocatus eſt autem & Ieſus & diſcipuli ejus ad Nuptias.* Joh. II, 1. unde patet, jam Chriſti evo convivia à novis ſponſis data & ad ea hoſpites convocatos, eumque morem Chriſtum ipſum comprobaſſe, imò Nuptias piorum auguſta ſua & ter ſancta præſentia conſecraſſe.

Si Principis, Regis aut Cæſaris præſentiam in Nuptiis magno honori ducamus, quàm quæſo illuſtres Nuptias cenſeamus, quibus Princeps Regum terræ, unigenitus Dei Filius, DEUS ipſe bene dictus in ſecula coram ac viſibilis intereſt. *O Felices Nuptias*, exclamat Chryſologus Serm. CLVII, *quibus præſens eſt CHRISTVS! Hæ non luxu diffluunt, ſed Virtutibus continentur. Comeſſationes* (convivia) *Nuptiarum non renuit Dominus, ut pſalmos & tympana, quæ in Nuptiis reſonant, ad prædicandam Dei gloriam converteret, ut & ſic Pater in Filio honoraretur.* ſcribit S. Auguſtinus Serm. XLI de Tempore. Et quanti ampliſſimum illud honorarium, quo novis ſponſis, aqua in vinum mutata eoque ſex hydriis impletis, ſtupente architriclino, liberaliter providit, æſtimemus, præſertim cùm hæ *miraculorum* Domini *primitiæ* fuerint. Eleganter Prudentius hymno IX. cathem. 28.

Cantharis infuſa lympha fit falernum nobile,
Nunciat vinum miniſter eſſe in poculis
Ipſe Rex ſapore tinctis obſtupeſcit hydriis.

Venerabilis Beda ſuper Joh. hinc rectè colligit: *Si thoro immaculato vel nuptiis caſtè celebratis culpa ineſſet, Dominus eas nequaquam ſignorum ſuorum initiis conſecraſſet.* Conſentit S. Chryſoſtomus:

ſtomus: *Chriſtus, licet virgo, Nuptias accesſit & ipſe & Mater & diſcipuli, imo nuptiali munere commendavit, ne quis Nuptias abominaretur.* Homil. IV. in Eſaiam.

Quis in Nuptiis Canæ Sponſus, quæve Sponſa fuerit, Sacris non legimus. Abdias Babylonius in *Vitis Apoſtolorum* S. Johannem Apoſtolum Sponſum conſtituit, quippe qui ſolus ex omnibus Evangeliſtis hujus hiſtoriæ meminit. Sed & ratio iſta infirma eſt, & hæ Vitæ (verba ſunt Bellarmini de Script. Eccl. ad A. C. 100.) *fabulis, quàm veræ narrationi ſimiliores ſunt*; In ſpecie hanc relationem Baronius *ridiculis fabellis* accenſet ad A. C. XXXI. §. 31. Putat figmentum ex dicto S. Auguſtini in Præfat. ſuper Joh. malè intellecto hauſtum. Dixerat Auguſtinus S. Johannem *à Domino de fluctivaga Nuptiarum tempeſtate vocatum*, unde vulgo fingunt S. Johannem duxiſſe Canæ uxorem, ſed eam primo Nuptiarum die, viſo miraculo, reliquiſſe ſponſaque relicta Dominum ſecutum. Ex eodem Auguſtino ſub finem Operis in Joh. conſtat Johannem plus cæteris ideò amatum, quod nunquam uxorem duxerit & ab ineunte ætate vixerit caſtiſſimus. Itaque verborum Auguſtini mens hæc eſt, Iohannem à Domino ita gubernatum, ut animum ad rem uxoriam nunquam applicaret, nec tota vita fluctivagæ Nuptiarum tempeſtati ſe committeret. Nicephorus in his Nuptijs ſponſum facit Simonem Cananæum lib. IIX. Hiſt. Eccl. c. 30, ſed tacentibus SS. Literis & primitivæ Eccleſiæ Doctoribus ſolius Nicephori fides, ut in aliis, ſic & h. l. nobis meritò ſit ſuſpecta. Quisquis demum Sponſus fuerit, nobis indicaſſe ſufficit. quis & quatenus, CHRISTO præſente, ſit Nuptiarum honor. Sponſus in Nuptiis Canæ

Nec minus præclare de Nuptiis Senatus SS. Patrum ſtatuit. Etſi enim Patres in laudibus cælibum ac virginum *ſæpius* occupentur, ſuo tamen honore Nuptias non defraudant, e quibus omnium loco Greg. Nazianzenus: *Nuptiæ*, inquit: *ſunt radix humani generis, columna vitæ, relevatio curarum,*

apex

apex honesti amoris, Limitet affectuum, ἐυσεβίης τὸ κέντρον. Huic S. Augustinus in libello de Nuptiarum vel CONJUGII BONO addendus. Imò in tanto apud veteres pretio Nuptiæ fuerunt, ut inter vota SS. martyrum fuerit ad pedes piorum conjugum in Dei regno inveniri. Ita enim Ignatius, Vir Apostolicus & genuinus Apostolorum discipulus: *Non detraho beatis, qui Nuptiis copulati fuerunt, sed OPTO, ut Deo dignus ad vestigia eorum in regno ipsius inveniar sicut Abraham, Isaac, Iacob, sicut Ioseph & Esaias & cœteri Apostoli, qui Nuptiis fuerunt sociati, qui non libidinis causa, sed posteritatis surrogandæ gratia Conjuges habuerunt.* Præclara est vox illa Justiniani, è seculo sexto: *Nihil in rebus mortalium proinde venerandum est atque Nuptiæ. Ex Nuptiis sunt liberi & omnis familiæ series. Nuptiæ regiones & civitates frequentes reddunt. Nuptiæ optimam Rempubl. coagmentant.* Novell. 140. Nihil verius! Sunt Nuptiæ fons omnium Statuum Oeconomiæ, Reipublicæ, Ecclesiæ, quos cessantibus Nuptiis intra seculum unum evacuari omnes oportet.

Hostes Nuptiarum.

Eo non obstante Satanas ab initio Ecclesiæ vires ferè omnes intendit, ut ab Orbe Christiano Nuptias proscriberet. In hunc finem ab Ecclesiæ incunabulis sectarii reperti, κωλύοντες γαμεῖν, qui *nubere prohibuerunt*, ut loquitur Apostolus I. Tim. IV. 5. Scribit jam suo ævo S. Ignatius extitisse, qui τὴν νόμιμον μίξιν καὶ τὴν τῶν παίδων γένεσιν μολυσμὸν *nuptialem mixtionem & liberorum procreationem inquinamentum carnis* dixerint Epist. ad Philadelph. Saturniani circa A. 135. nubere & generare cacodæmonis inventum docebant, teste S. Irenæo lib. I. adversus hæreses cap. XXII. Marcionitæ Nuptias omnes damnarunt nec nisi virgines innuptasque puellas ac cælibes communione dignabantur, & sub plausibili continentiæ (quam Christus commendasset, adeoque ipse servasset) prætextu conjuges suarum partium futuros separabant. Ita enim S. Irenæus: *Marcionitæ ABSTINENTIAM A NUPTIIS*

Saturniani

Marcionitæ

PTIIS

PTIIS profitentur, frustrantes antiquam plasmationem Dei & obliquè accusantes eum, qui fecit masculum & fœminam ad generationem hominum. Lib. 1. contra hær. cap. 30.

Manichæi Nuptias & uteros tumentes exsecrati conjugia *hominum vincula & spontaneos carceres* vocabant; itaque nec coëundum nec uxores ducendas, nisi explendæ libidinis causa affirmabant, quam ut proritaret Deus, quasdam sui partes mutasse in fæminas, easque masculis objecisse; alias in masculos, ut in fæminis coeundi appetitum provocaret, referente S. Augustino, qui ipse per novennium in hac hæresi vixit, lib. 19. contra Faustum cap. 26. & l. 15. cap. 7. & alibi. Tatiani vel Encratitæ Nuptias pari cum scortationibus loco habebant nec in suorum numerum conjugio utentes sive fæminas sive mares cooptabant, teste. S. August. in libello de hær. ad Quod vult deum cap. 27. Hinc Genealogiam Christi ab Evangelistis traditam expungebant, ne Christum ex conjugio natum concederent, scribit Eusebius lib. iv. cap. 28. Nonnulli ex hac secta primas Nuptias premiserunt, secundas *damnabilem Polygamiam* statuerunt, teste Clemente Alexandrino lib. III. Strom. Manichæi. Encratitæ.

Valesiis Nuptiæ adeo erant invisæ, ut, ne inire eas possent, se ipsos & hospites suos exsecarent, rati congressum mariti cum uxore rem execrandam. Hos subsecutus Origenes seipsum castravit eoque agendis Nuptiis ineptum reddidit, quòd verba Domini Matt. xix, 12. *Sunt Eunuchi qui seipsos castrarunt propter regnum cœlorum*, κατὰ ῥητὸν exponeret. Hinc Valesii castrati. Origenes.

Abscidit illa acuto sibi pondera silice,

quamvis cætera à mulierum convictu non abstinuit. cùm ferè quotidie in gynecæo inter fœminas sit conversatus adeò, ut non viros tantùm, sed & puellas amanuenses habuerit, quod

quod Baronius veterum testimoniis demonstrat ad A. 235. §. 45. Equidem miror Adamantinum illum cum omnia ferè in SS. ad allegorias accommodaret, unum hoc Christi de exsectione dictum, in quo cumprimis alia erat διάνοια quærenda, literali sensu accepisse.

Apostolici. Apostolici, inde dicti, quod gloriarentur à se vitam Apostolicam agi, Nuptias inter opera carnis referebant, de quibus dixisset Apostolus: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, ideoque neminem in conjugio salvum fore docebant, obliti fortassis, Apostolos ipsos Nuptiarum pactis constrictos. Ad probandam *dæmoniacam* hanc, non Apostolicam *doctrinam* ex Ægyptio, nescio quo Pseudo-evangelio Christi hæc verba allegabant: *Veni ad opera fæminarum dissolvenda.* Sed Clemens lib. 3. Stromatum contra hos μισογάμους prolixè disputat & Evangelium istud apocryphum atque hæretica fuligine tinctum ostendit &, si vel maximè genuinum foret, per *opera* tamen *fæminarum* d. l. non honorabiles Nuptias, sed intemperantiam & inordinatum fæminarum appetitum intelligi demonstrat. Apostolici quidem Persarum Gymnosophistas imitandos proponebant, qui studio Sapientiæ à Nuptiis abstinuissent, at Clemens Sanctam Catholicam Ecclesiam, quæ semper & ubique γάμον σεμνὸν h. e. Nuptias venerabiles habuisset, iis recte opponit.

Adamitæ. Adamitæ ab Adam dicti, cujus in Paradiso nuditatem imitabantur, præterquam quod nudi mares ac fæminæ convenirent, nudi lectiones audirent, nudi orarent, nudi Sacramenta celebrarent, Nuptias ideo oderant, quòd nec Adam priusquam dimissus esset ex Paradiso, uxorem cognovisset, Nuptias ergò nunquam futuras fuisse ajebant, si homo non peccasset. Promiscuos tamen concubitos extinctis noctu lucernis eos egisse, refert S. Augustinus de Hær. c. 31.

Pri-

Priscillianistæ cùm *carnem* omnem pollutam crederent, omnem quoque cum *carne* commixtionem eoque prætextu Nuptias omnes aversati, ad divortia cum propriis uxoribus facienda sectatores, cohortabantur, nonnulli tamen Nuptias Virginum (quasi verò Virgines caro non sint) probarunt, teste S. Bernhardo serm. *66.* in Cant. Hieracitæ ab Hierace quodam Leontopolite oriundi solos *μονάζοντας* sive virgines sive viduas, verbo *: cælibes* cælo; sed conjuges vel Nuptijs implicitos gehenna dignos proclamarunt, cùm scriptum sit: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Priscillianistæ.

His componendi videntur *Gyrovagi*, Circulatores, Feri, qui cum *μισάνθρωποι* essent, in summo sanctitatis gradu ferinum victum posuerunt. Hinc *more ferarum* adspectus hominum & commercia humana fugerunt, & ab omni consortio remoti angustis domiciliis vel tuguriolis, in quibus nec corpus erigere nec libere jacere poterant, sese incluserunt. Alii horum cum bestiis sub incognitis latebris abditi, inter grandia scelera ab homine conspici, nedum contingi recensebant; Alii toto corpore nudi per ardentes solitudines velut sylvestres feræ oberrabant & sola naturæ pudenda tecti *armenta*, græcè *βοσκοὶ* It. *ἀπαθεῖς* vocabantur. teste Niccephoro lib. XIV. hist. cap. 57. Hi à Nuptijs tantum aberant, ut omnes hominum conservationes declinarent, contra Christi exemplum, qui inter homines conversatus ne *publicanorum* quidem & *peccatorum* convictum abhorruit; & contra naturalem instinctum, quo ad colendam societatem quisque ferimur, unde Aristoteli homo dictus *ζῶον πολιτικὸν animal gregabile*, quod Sapientis ethnici dictum S. Augustinus lib. de bono Conjugij commendat. Hinc & græcis εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ. Sed ea de re alibi. Hactenus de iis qui in V. E. Nuptias simpliciter damnarunt. Misanthropi.

Quod

DE SECVNDIS NVPTIIS.

Quod ad *Secundas Nuptias* attinet, circa has eadem SS. Patribus sententia nobiscum stetit, honestas & legitimas esse Origines l. 6. in Epist. ad Rom. *Mulieri crimen non est, si viro priore defuncto suscipiat secunda connubia.* Epiphanius hær. 48. *Ecclesia Virginitati congaudet, VNAS Nuptias honorat— sed si quis per debilitatem opus habuerit post propria uxoris obitum SECVNDAS Nuptias contrahere, hunc Veritatis Regula non interdicit.* In ipsa Roma notabile τῆς πολυγαμίας successive exemplum sibi visum S. Hieronymus Epist. ad Geront. recenset: *Rem*, inquit, *dicturus sum incredibilem, sed multorum testimoniis approbatam. Ante annos plurimos cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Rom. Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem, vidi duo inter se paria vilißimorum è plebe hominum comparata Vnum, qui Vxores VIGINTI sepelisset, alteram, quæ maritum VIGESIMVM SECVNDVM habuisset, extremo sibi, ut putabant, matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio, virorum pariter ac fæminarum post tantas rudes, quis quem prius efferret. Vicit maritus & totius urbis populo confluente coronatus & palmam tenens & adoream; per singulos sibi acclamantes uxoris multinubæ feretrum præcedebat.* Tantum ergo abest, ut veteres Christiani SECVNDAS, ut ne *vicies* quidem & ultra repetitas Nuptias improbarint. S. Augustinus lib. contra adversarios Legis, *Secundas Nuptias in utroque Testamento permissas* docet. Et in Quæst. ex V. & N. T. collectis *mulieris in Vrbe Roma* meminit, quæ *maritos undecim, & viri alterius, qui duodecim uxores habuerit*, cap. 115. Scio quidem nonnullos de Secundis Nuptiis sinistre locutos; sed horum mens & verba paulo infra exponentur.

Apertos hostes Secundæ Nuptiæ hereticos habuerunt, Montanistas, Cataphrygas, Catharos &c. Ad Montani castra è Doctoribus Ecclesiæ Tertullianus transiit, de quo

de quo S. Augustinus l. de Hæresibus: *Ideò factus est hæreticus Tertullianus, quia transiens ad Cathaphrygas, quos antea destruxerat, cœpit etiam SECVNDAS NVPTIAS contra Apostolicam doctrinam tanquam stupra damnare.* Et quid de *Secundis* dico? PRIMIS quoque NUPTIIS fuit iniquior. Ita enim lib. de Exhort. Castit. c. 9. *Ergo*, inquit, *jam & primas h. e. unas Nuptias destruis? Nec immeritò, quoniam & ipsa ex eo constant, ex quo & stuprum — Nec per aliud fit marita, nisi, per quod & adultera. Et cum hæc etiam de primis & unis Nuptiis prætendi ad causam continentiæ possint, quanto magis de secundo Matrimonio recusando præjudicabaunt. Gratus esto, si semel Deus indulsit tibi nubere. Gratus autem eris, si iterum indulsisse illum tibi nescias — Annon sufficit tibi de summo illo immaculatæ* (alij legunt: *Inuxoræ*) *Virginitatis gradu in secundum recidisse nubendo, sed in tertium adhuc devolveris & in quartum & fortassis in plures, postquam in secunda statione continens non fuisti, quia nec prohibere plures Nuptias voluit, qui de secundis provocandis retractavit. Nubamus igitur quotidie & nubentes ab ultimo die deprehendamur, tanquam Sodoma & Gomorrha, quo die super prægnantes væ implebitur i. e. super maritas & incontinentes: de Nuptiis enim uteri & ubera & infantes. Et quando finis nubendi? Credo post finem vivendi.* Hæc d. l. Tertullianus. Idem lib. de Monogamia: *Illud amplius dicimus, etiamsi totam & solidam Virginitatem sive continentiam Paracletus* (Montanus) *hodie determinasset, ut ne VNIS quidem NVPTIIS fervorem carnis despumare permitteret, sic quoque nihil novi inducere videretur, ipso Domino spadonibus regna cœlorum aperiente &c.* Proinde Tertullianus PRIMAS NUPTIAS frigide concessit, SECUNDIS fuit rigide adversatus.

Tertullianus, contra multinubentiam

Equidem vix video, quantum ab hoc Tertulliani errore S. Ambrosius absit, si juxta corticem verborum hoc ejus dictum acceperis: *Vna tantùm nec repetita copula nobis permittitur & in ipso conjugio lex est non iterare conjugium, nec secundæ*

Ambrosius

 conju-

conjugis sortiri conjunctionem lib. 1. de Off. cap. ult. nisi fortè ad solos Clericos, de quibus toto illo capite agit, ista referas, quibus in Vet. Eccl. secundæ Nuptiæ ægrè concessæ, prout adhuc in Græcia Presbyteri ad secunda vota transire, statuto ecclesiastico (non divino) prohibentur.

Multi veterum de Secundis Nuptiis sinistrè locuti.

Athenagoras Secundas Nuptias *honesta adulteria* censet. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum: *Ad eos*, inquit, *pudore afficiendos qui sunt proclives ad SECUNDAS NUPTIAS aptè Apostolus alto quodam tono eloquitur: Omne peccatum est extra corpus. Qui autem fornicatur, in proprium corpus peccat. Si quis autem Matrimonium audet dicere fornicationem, rursus legem & Dominum insectans maledictis impertit: quemadmodum autem avaritia & plura habendi cupiditas dicitur fornicatio, ut quæ adversetur sufficientiæ & uti idololatria est ex uno in multos Dei attributio: ita fornicatio est AB UNO MATRIMONIO AD PLURA LAPSIO*, ubi Secundas Nuptias fornicationis vel peccati in proprium corpus accusat, easque cum avaritia & idololatria conferat. Basilio M. in Epist. ad Amphilochium can. 4. Secundum Matrimonium *castigata fornicatio* dicitur, imò eo graviorem pænitentiam imponendam censet, quo plures quis Nuptias agit, quid? trigamiam non conjugium, sed reprobam *polygamiam* æstimat & ad unas, Nuptias contrahere jubet, aut certè non ultra dualitatem progredi, uti Balsamon Nomocanone exponit.

Concilium Neocæsareense A. 311 coactum can. 3. *Nuptias repetentibus Pænitentiam* injungit, & can. 2. *Presbyterum Secundarum Nuptiarum convivio interesse* vetat, qui canones in Concilio Trullano recepti Gregorius Nazianzenus orat. 31 refert, Apostolum *deprecari* i. e. dissuadere & detestari *Secundas Nuptias*, tanquam libidinis nota infames. *Primum* inquit, *lex est, secundum venia, tertium iniquitas, qui autem hunc numerum excedit, planè porcinus est*. De S. Hieronymo in con-

confesso est, quàm acerbè libris contra Iovinianum scriptis Nuptias, Primas æquè ac Secundas, taxet: *Si bonum est*, inquit, l. 1. cap. 4 *mulierem non tangere, malum est ergo tangere. Nihil enim bono contrarium, nisi malum. Si autem malum est & ignoscitur, ideò conceditur, ne malo quid deterius fiat — Oro te, quale illud bonum est, quod orare prohibet, quod corpus Christi accipere non permittit. Quamdiu impleo mariti officium, non impleo Christiani.* Et cap. 5. *Ideo melius est nubere, quia pejus est uri. Tollere ardorem libidinis, & non dicet, melius est nubere. Melius enim semper ad comperationem deterioris respicit.* Tantum abest, ut S. Hieronymus Secundas Nuptias, quas multoties *scortationem & meretricium quid* dixit, probet, ut vel unas & primas *contagium & sordes* appellet: *Si monogamiam excedere & Nuptias repetere licet, adhinniamus ad omnes fæminas*, scribit Epist. ad Geront. *& in exemplum Sodomæ ab ultimo die deprehendamur nubentes & nuptui tradentes, ut tunc sit Nuptiarum finis, quando terminus vitæ.* Sane eò profectus est Vir Sanctus, ut jam suo ævo aures Christianorum ob spretas Nuptias læserit, & Apologiis pluribus dicendi licentiam purgare sit coactus. Sed & Chrysostomus Homil. 32. in Matt. Secundas Nuptias *ob incontinentiam quidem permissas, sed honestæ fornicationis loco* à Christianis olim habitas docet. Unde constat, quam variè prisci Patres *Secundas* Nuptias depretiaverint; imò nonnulli de *Primis* etiam inique statuerunt adeò, ut ab hæreticis τοῖς Μισογάμοις parum videantur interdum alieni.

Sed salva est Autoritas SS. Patrum: iidem enim, qui de Nuptiis modo primis, modo secundis sinistre loquebantur, alibi de iisdem honorifice sentiunt. Tertullianus ipse, quam ob rejectas Nuptias Secundas S. Augustinus hæreticis connumerat, contra Nicolaitas, l. contra Marcion. c. 30. *Sanctitatem*, inquit, *sine Nuptiarum damnatione novimus & sectamur* Nuptiæ à SS. Patribus commendatæ.

ctamur

ctamur & præferimus non ut malo bonum, sed ut bono melius: non enim projicimus Nuptias, sed deponimus, nec præscribimus sanctitatem, sed suademus, servantes & bonum & melius pro VIRIBVS CVIVSQVE sectanda. Et iterum lib. 1. ad Uxorem c. 2. *Non abnuimus conjunctionem viri & fœminæ benedictam à Domino, tanquam seminarium generis humani.* Verùm hæc ad Primas Nuptias puto restringenda. Secundas enim nimis apertè damnat Tertullianus, ut excusari vix & ne vix quidem possit.

Etiam Secundæ olim probatæ.

S. Ambrosius, qui in conjugio legem fixerat dicam, an finxerat de non iterando conjugio, aliter lib. de Viduitate sentit: *Alia,* ait, *est infirmitatis contemplatio, alia gratia castitatis. NON PROHIBEMVS SECVNDAS NVPTIAS, sed non probamus sæpe repetitas. Sicut vinum bibere licet, sed plurimum non decet: ita nubere licet* (viduis: de his enim d. l. sermo) *sed pulchrius est abstinere.* S. Hieronymus Epist. ad Salvinam: *Procul sint hæreticorum calumniæ. Scimus honorabiles Nuptias & cubile immaculatum.* Ideò nec digami nec trigami damnandi, & si dici potest, nec octogami. Epist. ad Marcell. *NOS SECVNDAS NVPTIAS non tam appetimus, quam CONCEDIMVS.* Unde discimus SS. Patres in hac de Nuptiis causa varie loqui. Meminerimus ergo *Oratores* fuisse, qui in laudem continentiæ longius interdum provecti contra Nuptias pro cœlibatu gravia & grandia Rethorum more disseruerunt, sed cùm alibi de Nuptijs, Secundis æque ac Primis honestè statuant, palam est priores illas loquendi formulas ὑπερβολάς & excessivas fuisse. *Aliud est,* ait S. Hieronymus, mitigaturus, quæ disputandi fervore contra Nuptias scripserat, *γυμναστικῶς scribere, aliud δογματικῶς. In priori vaga est disputatio — in posteriori frons aperta, in altero pugnandum, in altero docendum.* Apol. 1. ad Pammach. Nos in hac Apostoli sententia conquiescimus: *Quæ sub viro est mulier, vivente marito ad viri legem est alligata: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri. Vivente marito*

si cum

si cum altero viro fuerit, adultera vocabitur, sed mortuo viro non est adultera, si alteri cohabitet. Rom. VII, 2 & 3.

Ab his ad *Nuptiatorum* sectam, auspice Ioviniano circa A. 380 inductam pergamus. S. Augustinus *Iovinianistas* appellat. *A Ioviniano quodam monacho,* inquit l. de Hær. cap. 82. *ista hæresis orta est nostra ætate, quum adhuc juvenes essemus.* Iovinianus vehemens *Nuptiarum Patronus,* cum suo seculo ferè omnes immodicis cælibatus laudibus occupatos cerneret, Nuptias defendit, dubio relicto, utrum vitio seculi, an suo merito in Nuptiarum causa sit inter hæreticos relatus? *Virginitatem sanctimonialium & continentiam sexus virilis in sanctis vitam cælibem eligentibus conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat, adeo ut virgines quædam provectæ jam ætatis in Urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur. Nec sanè ipse habebat vel habere volebat uxorem, sed non propter aliquod apud Deum majus meritum in regno vitæ perpetuæ profuturum, sed propter præsentem prodesse necessitatem, ne homo conjugales patiatur molestias, disputabat. Citò verò ista* Nuptiatorum *hæresis oppressa est nec ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit pervenire.* Ita S. Augustinus. Hanc Ioviniani hæresin Nostratibus malitiosè impingit Bellarminus lib. IV de Ecclesia cap. 9. §. 12. Sed nobis eadem cum S. Augustino lib. de Bono Conjugali cap. 8. est sententia: *Sicut jejuniis sacrilegorum meliora sunt prandia justorum: ita NUPTIAE FIDELIUM Virginitati anteponuntur impiorum. Verumtamen nec prandium jejunio, sed justitia sacrilegio, neq; Nuptiæ Virginitati, sed fides impietati præfertur.*

Nuptiatores, Iovinianistæ.

Neque porrò prætereundi sunt Abelonii, de quibus S. Augustinus ad suum Quod vult deum hæc rescripsit: *Non miscebantur uxoribus & tamen eis sine uxoribus vivere sectæ ipsius dogmate non licebat, Mares ergo & fæminæ professa continentia* (sub eodem tecto dicam, an & lecto?) *cohabitabant puerumque & puellam adoptabant in ejusdem conjunctionis pacto successuros.*

Abelonii sine Nuptiis uxorati.

Morte

Morte præventis alii surrogabantur, dummodo duo duobus disparis sexus societate succederent. Vtrolibet Parente defuncto, uni superstiti ad ejus usq; obitum filii serviebant, post cujus obitum etiam hi puerum & puellam similiter adoptabant. Nec unquam eis defuit, unde adoptarent, generantibus circumquaq; vicinis & filios inopes ad spem hæreditatis alienæ libenter dantibus. Hactenus iterum Augustinus. Nomen sectæ erat ab Abel, mortalium secundo genito, quam & ipsum in conjugio extra usum conjugii vixisse hinc probabant, quod cùm primorum hominum conjugia admodum prolifica fuissent, solus Abel (sine dubio in conjugio positus) ἄπαις adeoque conjuge non usus videretur. Sed de Sectis illis omnibus S. Irenæus, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus & alii veterum hæreseon scriptores pluribus si placet, videantur.

Μισόγαμοι clerici in Papatu

Nos Nuptiarum hostibus ex parte Pontificios censemus affines, qui licet Matrimonium inter Sacramenta Ecclesiæ divinitus instituta connumerent & pari loco cum Baptismo & Eucharistia habeant, universum tamen Clerum lege à Siricio Papa sub finem seculi IV lata, & serò ab Hildebrando vel potius Gregorio VII Clericis Germaniæ obtrusa, ab agendis Nuptiis prohibent, secus atque Patribus in Magno Oecumenico Concilio visum est, in quo cum nonnulli præpostero Virginitatis amore NOVAM Legem de Coelibatu Clericorum inducere satagerent, Paphnutius Fidei Confessor altùm in Synodo exclamavit: *Ne imponite, Fratres, Sacerdotibus hoc jugum! Honoratæ in omnibus sunt Nuptiæ! Cavete, ne majus malum, Nuptiis Clero ademtis, Ecclesiæ creetis! Non opinor, quenquam castitatem servaturum, si uxores maritis suis priventur! Ne separate, quos Deus conjunxit!* Hæc & in hunc sensum plura cum dixisset Paphnutius, ipse Nuptiarum expers, quippe à puero in asceteriis enutritus, auctoritate sua obtinuit, ut abstinentia à re uxoria in arbitrio Sacerdotum relinquere-

Nuptiæ Clericorũ in Concil Nic. cefensæ.

quere-

quæretur, quæ ad eum modum gesta commemorant Socrates lib. 1. Hist. c. 8. Sozomenus l. 1. c. 2. de duobus illis antiquior Ruffinus l. 1. Hist. c. 4.

Si exempla vel praxin primitivæ Ecclesiæ spectes, multos non clericos tantùm, sed & Episcopos & primarios Sacrorum Præsules uxoratos legimus. Primi Religionis Christianæ per universum Orbem præcones, Apostoli plerique, ipse PETRVS, quem primum Romæ Pontificem fingunt, in conjugio vixerunt, suasque, cum prædicarunt, uxores aliquando comites habuerunt. Tertulliani Presbyteri Carthagin. ad Uxorem libri exstant. Nicolaus unus ex septem diaconis & uxorem & filias habuit. Chæremon Episcopus in fuga positus cum uxore in cælum fertur subductus. Novatus presbiter Carthagin. male audiit, non quod uxorem duxisset aut imprægnasset, sed quod gravidam calcibus protrivisset eoque abortum procurasset; Cæcilius catecheta uxorem & liberos in extremis S. Cypriano commendavit. Ipsius S. Cypriani Episcopi Carthag. & martyris uxorem refert Pontius Diaconus in vita Cypr. S. Gregorius Nazianzenus in sacro ministerio positus eximium par filiorum Gregorium κατ' ἐξοχὴν Theologum & Cæsarium genuit; Gregorius Nyssenus & Hilarius Pictaviensis, uterque episcopi, constanti matrimonio sunt usi. Patres & Sacerdotes V. E. conjuges.

— — *Non horruit illa*
Tempestate Deus thalamos, cunabula, tædas.

Post interdictum Siricii, à Nuptiis clericos prohibentis, S. Hieronymus Sacerdotes plurimos conjuges agnoscit l. 1. contra Iovinianum c. 11. Paulinus presbyter uxorem suam constanter secum retinuit. Aprum itidem presbyterum uxor sua rem domesticam curando sublevavit, ut ad sacra ministeria expeditior esset, teste Paulino Epist. 27. In Oriente Græci, Rutheni, Moscovitæ, Abassini, Æthiopes, Arme-

Armenii, quicunque volunt, Sacerdotes uxoribus suis assuescunt, etsi Secundas Nuptias iis non concedant. Legi de his omnino meretur insignis B. Calixti de CONIUGIO CLERICORUM Tractatus, qui præter fatum, quod reliqua Viri scripta subierunt, hactenus ab adversariis quarumvis partium ferè solus intactus permansit, an ob scripti singularem ἀκρίβειαν, an quod plausibile & sacris ministris gratum fuerit, quod Autor defendit, argumentum, alii arbitrentur.

Nuptiæ Episcopis olim vitio datæ.

Observo tamen Veteres, licet ante susceptos sacros ordines in Nuptiis concedendis faciles fuerint, nec ob Nuptias habitas à collatione sacrorum ordinum Viros cætera dignos prohibuerint, his tamen, qui sacro ministerio jam ornati erant, Presbyteris præsertim & Episcopis Nuptias vitio dedisse, non quod Deus Ordinem Sacrorum Lege lata à Nuptiis usquam exclusisset, sed (1) quod cælibem vitam, quam conjugio longe præferebant, in clero æquè ac plebe coli vellent (2) quod totum procandi negotium (v. g. sedere ad latus aut in gremio lascivientis puellæ, ambire Nuptias, complecti vel osculari virginem &c.) secum vehat ineptias Viro gravi, qualem decet esse Sacerdotem, nedum Episcopo indignas; ipsa denique Nuptiarum festivitas non habeat nihil nugarum aut saltem aliquid, quod à gravitate sacerdotali præsertim Vet. Ecclesiæ alienum videri poterat. Ob hæc, antequam presbyteri aut episcopi ordinarentur, nuptias à Clericos agi Veneranda Antiquitas maluit, ne post illa his, quas dixi, vanitatibus, quæque à Nuptiis vix absunt, denuo, implicarentur.

Συνείσακτοι. Subintroductæ

Sed quo magis clerus ad cælibatum sanctionibus ecclesiasticis fuit adstrictus, eo plures περὶ τῶν Συνεισάκτων, de *Subintroductis* canones in Conciliis occurrunt. Nomine τῶν Συνεισάκτων Pontificij imperitè dicam an improbè honestas

Cleri-

Clericorum Uxores intelligunt, cùm ad sui Cleri focarias & concubinas, quibus cum capita subinde collidunt, ne quid gravius dicam, propiùs accedant. Erant olim Συνείσακτοι *Subintroductæ*, Ἀγαπηταὶ vel *Dilectæ*, *Extraneæ* vel *Ascititiæ* fœminæ ad curam rei familiaris extra concubitum à Viris in contubernium assumtæ. Extant S. Chrysostomi duæ Orationes, altera πρὸς τοὺς ἔχοντας Συνεισάκτους ad viros, qui domi suæ introductas; altera πρὸς τὰς γυναῖκας ad fœminas, quæ viros domum introductos alunt. Priori inter alia sic ait: *Majoribus nostris duæ tantùm causæ cognitæ fuerunt, propter quas viri mulieribus cohabitarunt. Et una quidem vetus est ac justa, nempe Matrimonium à Deo institutum; altera injusta & Legibus adversa stuprum à dæmonibus introductum. At nostra ætate tertius quidam, novus & insolitus mos prodiit, cujus causam haud facilè dixeris. Sunt enim, qui PVELLAS NVPTIARVM EXPERTES domum ducunt & in extremam usque senectutem inclusas tenent ac fovent, non procreandorum puerorum gratia: negant enim se cum illis rem habere; neque libidinis causa: dicunt enim, quod eas integras & incorruptas servent. Si quis ab iis causam quærat, multas proferunt, sed fingunt. Ego nullam eos habere crediderim, quæ vel honesta sit vel idonea-- sed videtur mihi mulieris convictus absque Nuptiis & congressu voluptatis nonnihil habere.* Paulo inferius vocat eosdem *effæminatos milites, qui fidei scuto abjecto ad fusum & calathum turpiter sedeant.*

Idem aurei oris Doctor Oratione altera in Virgines quæ viros extra Nuptias in consortium vocabant, h. m. invehitur: *Si habere cupis virum, qui tecum cohabitet, non oportet virginitatem eligere, sed ad Nuptias transire: multo enim melius est virginem nubere, quam isto modo virginitatem profiteri. Nuptias nec Deus condemnat nec homines reprehendunt, quia honesta res sunt Nuptiæ, quæ neminem offendunt, neminem lædunt. Sed virgi-*

vitas inter viros culta stupri instar habet. Hæc de Veterum Subintroductis, quibus imprudens illa NUPTIARUM FUGA vel nimia Cœlibatùs admiratio aditum patefecit. Sub Papatu hodie, hodie? à multis retro seculis coacta illa à Nuptiis abstinentia vel Cœlibatus adeo fuit prolificus, ut clericis & monachis

Clerici Pontif. sine Nuptiis prolifici

rectè sint indita nomine Patrum,
Cùm numerent spurios hîc & ubique suos.

Hinc integri libri de impuritate Clericorum Papalium extant, quos inter eminet *Gomorrhæus Damiani*. Hinc lupanaria & promiscuos concubitus in magnis Civitatibus adeoque in ipsa Roma, primaria illa impuri cœlibatus officina ad evitanda multa præsertim Sodomitica peccata concedi adhuc oportet. Sed non placet hoc Augiæ stabulum ingredi nec hanc adeò fætidam camarinam movere, ne monstrosas libidines enarrare cogar, quas ne nominare quidem Christianos decet.

SPONSALIA Veterum,

Ad ipsa connubiorum sacra progredi malo, quorum quasi præambula SPONSALIA vulgo dicuntur NUPTIÆ SPERATÆ, quòd solennes futurarum Nuptiarum sint sponsio, à *spondendo*, unde sponsi sponsæque appellatio. Sub sponsalibus *arrhæ sponsalitiæ, donatio propter Nuptias, pacta dotalitia, munera sponsalitia, convivia sponsalia* continentur. Hîc deprehendo in Vet. Eccl. morem fuisse, ut futuri sponsi Sacerdotem Ecclesiæ accederent & ante quam desponsarentur, in publica Synaxi (ut puto) indicarent, se cum hac vel illa contracturos, adeoque cum consensu Ecclesiæ Nuptias inituros, imò Sacerdotes ipsos matrimonia lego conciliasse, idque ex Tertulliano, latinorum, qui extant, Patrum antiquissimo constat: *Vt igitur*, inquit ille ad petentem Secundas Nuptias, lib. de Monogamia cap. XI. *in Domino nubas secundum Legem & Apostolum, qualis es*

Sacerdotes de futuris Nuptiis consulti.

(cogita)

(cogita) *id matrimonium postulans, quod eis, à quibus postulas, non licet habere, ab Episcopo monogamo, à presbyteris, & diaconis ejusdem sacramenti, à viduis, quarum sectam in te recusasti?* ad quæ verba Georg. Ambianates, Tertulliani Interpres doctè commentatur, olim viros à diaconis, fæminas à viduis consilia Nuptiarum petiisse. *Non enim Nuptiæ solummodo in Ecclesia celebrabantur, sed & ab Ecclesia conciliabantur, uti liquet ex Tertull. l. 1. ad Uxorem c. ult. i.e. componebantur & cleri sive concilio dixeris sive consilio dirigebantur. Hinc cap. 2. l. 2. ad Uxor. Nuptiarum consiliarij, qui res matrimonij moderabantur pro faustis infaustisve auspicabantur. Nam cùm summa cura providerent Christiani, ne quis fidelium cum infidelibus jugum duceret aut Nuptiis inauspicato animum implicaret, cautam, ut qui de matrimonio cogitabat, desideria sua ac vota IUXTA CLERI ARBITRIUM moderaretur palamque teste tota fraternitate nec reclamante jungeretur, & hoc est, quod Tertull. l. de Pudic. c. 4. vocat Nuptias apud Ecclesiam professas i.e. palam publicatas & coràm celebratas.* His gemina tradit Albaspinæus Observ. Eccl. 24. *Reperi ego*, inquit, *in Ecclesia olim statutum, ne quisquam uxorem duceret aut de Nuptiis cogitaret, quin prius Ecclesiam i.e. Episcopum, sacerdotes, viduas cæterumque clerum consuluisset eisque futuræ conjugis conditionem, statum, religionem, sectam, patriam deniq; ac mores & ætatem exposuisset. Causa hæc cumprimis fuit, ne parva manus Christianorum pollueretur aut quisquam eorum Gentilis conjugio vel Iudæi aut hæretici macularetur, è qualibus matrimoniis multa futura incommoda prævidebant.*

At cum pudor sequiorem præsertim sexum ab adeundo episcopo sæpe prohiberet, imò honor sacerdotii familiarem & promiscuum cum puellis congressum non permitteret, consultum est, ut virgines nupturæ *viduas* adirent & his animi sensa de futuris Nuptiis episcopo & clero de- Petere maritum à vidua.

deferenda exponerent. Hæ viduæ annos magis sexaginta natæ ob ætatem morumque gravitatem erant inter clerum & sexum sequestræ & quasi arbitræ, ut pro affectu, quo matres erga filias feruntur, virginum nupturientium votis se faciles exhiberent & pro studio, quo erga Ecclesiam afficiebantur, fidei ac religioni consulerent, & Episcopi ac cleri sententiam de meditato Virginis matrimonio exquirerent, atque hinc nata est vetusta loquendi formula, ab omnibus, ut censet Albaspinæus, hactenus neglecta: *Petere maritum ab Episcopo, à vidua &c.* cujus sensum ex jam dictis facilè nemo non cognoscit. Ævo tamen Hieronymi hunc morem displicuisse animadverto. *Prædicator continentiæ*, ait S. Hieronymus Epist. ad Nepotianum, *Nuptias ne conciliet. Qui Apostolum legit dicentem: Superest, ut qui habent uxores, sint quasi non habeant; cur virginem cogit, ut nubat? Qui de monogamia Sacerdos est, quare viduam hortatur, ut sit digama?* Ita in Ecclesia quo pluribus encomiis Cælibatus fuit illustris, eo magis Nuptiæ fuerunt exosæ adeo, ut ne consilia quidem in re nuptiali dare Sacerdotibus fuerit concessum. Martyrum ævo sic non erat!

Nuptiæ Christianorum cum infidelib9 prohibitæ.

Consensu à Sacerdotibus impetrato Sponsalia agebantur, circa quæ prisci ac primi Christiani varias cautelas adhibuerunt, inprimis ne cum *Infidelibus*, Iudæis vel Paganis contraherent. Testem & hîc laudo Tertullianum, qui lib. de Monogamia cap. 7. *Nuptura*, ait, *in Domino debet nubere h. e. NON ETHNICO, sed fratri, quia vetus lex adimit conjugium allophylorum*, ubi simul ostendit, ex Mosaica lege V. T. morem cum diversæ Religionis consortibus nuptias non contrahendi ortum. Et lib. 2. ad Vxor. c. 2. *Nubere in Domino, quod vult Apostolus, est indubitatò nubere Christiano*, imò totius libri posterioris ad Vxorem scopus est, ut si continere à Nuptiis Secundis, viro defuncto vidua non possit aut nolit, saltem *in*

in Domino h. e. Viro Christiano nubat, idque non monet solum, sed & urget & jubet, imò (uti ex allatis constat) dictis utriusque V. & N. T. confirmat. Sed & S. Cypriani Axioma est: *Matrimonium cum infidelibus non jungendum*, lib. 3. ad Quirin. cap. 62. quòd scriptum sit: *Nolite jugum ducere cum infidelibus* 2 Cor. 6, 14. S. Ambrosius ex professo epistolam integram num. 70. lib. 9. ad Vigilium novellum Sacerdotem perscripsit, qua variis argumentis probat, indecorum esse, ut Christiani *cum alienigenis* sive Judæis sive gentilibus matrimonio copulentur.

Hæc Nuptiarum cum infidelibus fuga octavo adhuc & subsecutis seculis fuit sancta. Hinc Irene Augusta filio Constantino concedere noluit, ut Cagani Ducis Scytharum filiam domum duceret ante, quàm Sponsa fide Christi informata baptismum suscepisset, auctore Sigeberto ad A. 732. Et ut alterius quoque sexus exemplum addam, Filiam Regis Cantuariorum, cùm Rex Nordanhumbriæ, Edvinus missis Legatis sibi desponderi peteret, responsum *est Virginem Christianam homini pagano desponsari non posse, ne Fides & Sacramenta cœlestis Regis consortio terreni Regis, qui verum Dei cultum ignoraret pollueren tur.* Quæ cum Nuncii retulissent, renunciari fecit Rex Edvinus, se nihil Fidei Christianæ, quam Virgo coleret, contrarium facturum, imò permissurum, ut fidem cultumque suæ Religionis cum omnibus, qui secum venissent, viris ac fæminis, sacerdotibus & ministris Christiano ritu servaret; neque seipsum eandem Religionem subiturum recusavit, modo à viris prudentibus examinata sanctior & dignior inveniretur, quibus pollicitationibus inducta Regia Virgo Edvino desponsata est domumque missa. Proinde spem saltem conversionis ad Christum factam esse oportuit ante, quàm sponsalia cum exteris agerent.

Caverunt porrò invicem Christiani, ne cum con-

Nuptiæ cū consanguineis incestæ. ſanguineis in iis præſertim Gradibus, quos Deus latis ſub V. T. Legibus Levit. XIIX. ſeverè interdixerat, Nuptias vel ſponſalia inirent. Notorium eſt, quam graviter Apoſtolus in hominem inceſtum, qui novercam uxorem duxerat, invehatur: *Omninò*, inquit, *auditur inter vos fornicatio & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem Patris aliquis habeat. — Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu jam ut præſens judicavi, eum qui hoc operatus eſt, vobis & meo ſpiritu in nomine D. N. I. C. congregatis cum poteſtate D. N. I. C. tradere hunc hominem Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſit ſalvus in die Domini IESV* 1 Cor. v, 1. Non jam vacat ARBOREM CONSANGVINITATIS, Gradusque in linea aſcendente, deſcendente, recta & collaterali juxta computum Iuris ſive Canonici ſive Civilis referre. Vid. DECRETUM GRATIANI, Parte Secunda, Cauſa 35. Quæſt. I. II. III. quibus de prohibitis inter conſanguineos Sponſalibus & Nuptiis ex SS. Antiqq. variisque Canonibus Conciliorum, reſponſis Pontificum, ſententiis SS. Patrum prolixè agitur & hujusmodi Nuptiæ in ſeptimum uſque gradum damnantur.

Diſciplina Veterum circa Nuptias inceſtas. Non poſſum quin praxin Vet. Eccl. circa INCESTAS NVPTIAS ſuccinctè proponam. In Concilio Ilerdenſi circa A. 525. ne cibum quidem cum his, qui inceſta pollutione ſe commacularunt, quamdiu in deteſtando carnis contubernio perſeverant, ſumere Chriſtiani jubentur, nec ita polluti in Templis niſi Miſſæ Catechumenorum intereſſe permittuntur. In Concilio Agathenſi *nihil veniæ* conjunctionibus inceſtis conceditur, donec ſeparentur. Juxta Concilium Elibertanum ei, qui defuncta conjuge ſororem ejus ducit, *quinquennij* pænitentia imponitur, alibi uterque horum *ad mortem uſque à communione* abſtinere ſunt coacti; in morte autem *ex mera miſericordia* Viatico donati. Et ut in compendio rigorem veterum circa Nuptias

in-

incestas spectes, Concilium Moguntinum profero, quo hæc sancita: *Si quis fornicatus fuerit, cum duabus sororibus vel noverca sua vel cum sorore sua vel cum amita sua vel cum matre sua vel cum filia patrui sui & avunculi sui vel cum filia amitæ suæ sive materteræ suæ vel cum nepte sua vel cum commatre aut filiola sua, quam de sacro fonte suscepit vel ante Episcopum tenuit, abstineat ab ingressu domus Domini per integrum annum eodemque (exceptis diebus dominicis & festis) solùm pane & aqua & sale utatur, arma non ferat, osculum nullum præbeat, sacrificium, nisi pro viatico non sumat. Postea per sex annos ingrediatur quidem domum Dei, sed carnibus & vino & sicera minimè utatur, nisi festis diebus (de armis verò, & osculo & sacrificio, uti supra dictum est) His completis per biennium carne quidem vescatur, sed ab omni potu, qui inebriare potest abstineat, vel si (talem) potum biberit, minimè carne vescatur, nisi primariis festis: de armis, osculo, sacrificio modum jam dictum teneat. Hinc usque ad obitum suum nisi prædictis festis, à carne abstineat, tres legitimas ferias omni hebdomade & tres quadragesimas in anno legitimè custodiat (de armis verò, ut supra dictum est) & nunquam conjugio aliquo copuletur.* Satis rigidè!

Notetur, h. l. inter personas prohibitas *cognatos* quoque *spirituales*, compatres & commatres, & ex baptismo ab his susceptos filios filiasque referri, sed in primitiva Ecclesia nusquam invenio spiritualem cognationem inter matrimonii impedimenta locatam. Primus nisi fallor, saltem unus ex primis, qui hæc Sponsalia vel tales Nuptias irritavit, fuit Gregorius M. qui in Concilio Romano edixit: *Si quis commatrem spiritualem duxerit, anathema sit*! sed & hoc addidit: *Si quis Dei ancillam id est sanctimonialem in conjugio duxerit, anathema sit*, uti eum loquentem inducit Regino Prumiensis, Opere à nobis primùm edito de Disciplina Veterum lib. 2. cap. 183. & seqq. ubi de *Nuptiis incestis* ex SS. Antiqq. plura invenies. In eundem sensum Zacharias Papa ad Theodorum Epi-

De Nuptiis cognatorũ spiritualium.

Episcopum Ticinensem rescripsit: *Pitacium nobis tua veneranda fraternitas obtulit, per quod sciscitari curasti, si liceat filio, cujus pater alterius filiam ex sacro baptismate susceperit, susceptam i. e. spiritualem ejus patris filiam (quod dictu CRUDELE est) in matrimonio accipere, quod apud te enormiter asseruisti contigisse. Sed benè tua sancta fraternitas compertum habet, quod dominus praeceperit per Mosen: Turpitudinem patris tui vel matris vel sororis non revelabis: turpitudo enim tua est, cum ergo à propria consanguinitate jubeamur abstinere, multo magis à spirituali Patris nostri filia, omni excusatione seposita sub nimia districtione nos cavere convenit, ne in iram divini examinis incidat, si quis tali facinore mistus minimè restrinxerit frena luxuriæ. Unde & omnes omninò cavendi sunt à tali sceleris commixtione, ne in perpetuum pereant, sed hunc qui hujus perniciosæ temeritatis auctor animæ suæ salutem despiciens, impiissimo se miscuit matrimonio per omnia fraternitas tua separare studeat & pænitentiæ dignæ submittere, quatenus animam ejus ab æterna damnatione erutam lucreris.*

Sententia Nostratiũ.

Audi B. Lutherum: Die Ursach die Ehe zu wehren/ so da ist geistliche Freundschafft / als wenn ich ein Mägdlein auß der Tauff hebe/ so kan weder ich noch mein Sohn / Sie oder jhre Mutter oder jhre Schwester zur Ehe nehmen/ es sey denn weidlich Geld da/ das ist lauter Narrwerck vnd Alfenzen zur umb geldes willen und die Gewissen zu verwirren erdacht. — Drumb laß das Narrenwerck fahren vnd wann du wilt/ so nimb zur Ehe/ Gott geb es sey Gevatter/ Pate/ Gevattern Tochter/ Schwester oder wie sie sind vnd halte diese Geldsüchtige Ursach für nichts. Tom. 2 Jen. Germ. Vom ehelichen Leben. Consentit Chemnitius parte 2. Exam. Concil. Trid. de Matrim. *Quod cognatio spiritualis* (inquit) *Matrimonium vel contrahendum vel jam contractum dirimat & SCRIPTURAE & VERAE ANTIQUITATI prorsus ignotum est. Alias enim inter Christianos nullum posset constare matrimonium, quia omnes sumus fratres & sorores*

forores in Christo. De civili tamen jure similiter *ea persona omnimodè ad Nuptias venire prohibetur, quam aliquis sive alumna sit nec ne? de SS. Baptismate suscepit. L. Si quis.* Cap. de Nupt. Iure Provinciali in Ducatu Luneburgensi idem observatur. Ita enim habet Ordinario: Es soll keiner die/so er auß der Tauff gehoben/zur Ehe nehmen. Vid. Observata D. D. Hahnii ad lib. XXIIII. Digest. Tit. II. Verùm non inde hoc est, quod Ius divinum aut naturale has Nuptias condemnet, sed quod in tánta nupturientium copia decorum videatur, susceptorem à suscepta (licet nulla inter hos sit sanguinis reverentia) abstinere, quod susceptores loco Parentum censeantur: De; in civiles hæ prohibitiones ad solum susceptorem & susceptam vel susceptricem & susceptum sunt restrictæ; at jure pontificio ad novem personas extensæ. Vid. C. Martinus C. Tua nos &c.

Non possum, quin h. l. sanctissimos Martyres primosque christianos, quos ethnici de INCESTIS NVPTIIS accusarunt, à calumniis vindicem: Cùm Salvator CHARITATEM, quæ est universæ Legis impletio, postremis tabulis sanctè commendasset eamque discipulis quasi Testamento legasset dicens: *Mandatum novum do vobis, ut alii alios diligatis, sicut ego vos dilexi!* Ioh. XIII, 34. primi christiani ad exprimendum charitatis suæ ardorem arctissimis mutuæ societatis nominibus se invicem, æquales suos fratres & sorores, majores natu honoris ergò patres & matres, minores filios & filias appellarunt; quos cum ethnici invicem connubere cernerent, blanda illa vocabula, christiani amoris tesseras in geminam calumniam rapuerunt: Nam (1.) cùm inter ethnicos puellæ blandientes amasios suos cum quibus consueverant, fratres; & vicissim juvenculi amicas suas, cum quibus colludebant, sororculas vocarent, primis Christianis eadem hæc nomina *piè* usurpantibus;

Calumnia de Incestis Nuptiis Vet. Christianorum.

D mali-

malitiosè fuit impactum promiscuam illos Venerem Nuptiis abjectis spargere, quam pudendam calumniam haud leviter auxit impuritas Simonitarum, Nicolaitarum, Carpocratianorum, Gnosticorum &c. qui Christianos se professi indifferenter fœminis utebantur spretisque venerandis Nuptiis in promiscuo concubitu ipsa sacra collocabant. Alii (2.) Christianis, sanctissimis illis, quibus indignus erat orbis, oedipodios concubitus vel Nuptias incestas affinxerunt, quòd in Ecclesia frater eam, quam sororem; filius eam, quam matrem dixisset, duceret uxorem, quæ non minus atque alia putida mendacia (v. gr. quod Christiani *infanticidæ* & *anthropophagi* essent, Sacerdotum *genitalia* vel Solem adorarent, caput asini venerarentur &c.) cursum propagandæ Ecclesiæ plurimum sufflaminarunt, & vix per Apologeticos ejus ævi à Tertulliano, Iustino, Athenagora, Minutio Felice aliisque comprimi potuerunt.

Polygamia Simultanea in V. T. Præterea fas non fuit, nisi *unum cum una* desponderi aut matrimonio conjungi, adeoque hæc lex fuit Veteris Ecclesiæ: *Plures ne simul ducantur, sed una tantùm*, quòd Deus in Paradiso (cùm primum hominem de terræ gleba formasset, Evamque de ejus latere eductam matrimonio illi locasset) constituisset, ut DVO (non tres quatuorve) in carne una essent; à quo primævo instituto primus deflexit impius Lamech ductis duabus uxoribus Gen. IV, 19, quem postea, Deo quasi connivente (ut sic loquar) imò approbante plurimi sunt imitati, inter quos Patriarchæ, ipse fidelium Pater Abraham ac Reges cætera pientissimi, præsertim Sapientissimus mortalium Rex Salomo, cujus conjuges simul ac semel septingentæ ac concubinæ erant trecentæ. Res supra fidem, nisi Sacer codex adfirmaret I. Reg. XI, 3 in quem locum Nicolaus de Lira: *Iosephus, Antiquitatum Iudaicarum scriptor dicit, quod Reginæ fuerint septuaginta ideoque dicendum videtur, quod*

septua-

septuaginta erant principaliores aliis, & illas tantum numerat Iosephus; Vel aliter potest dici, quod Scriptura hîc numeret domicellas & servientes assistentes Vxoribus Salomonis (gynecæum regium) & sic de septingentis hîc numeratis septuaginta erant Vxores ac Reginæ, cæteræ autem earum domicellæ. Si quis autem velit sequi textum, prout sonat, potest dicere, quod Salomo ad tantam carnalitatem pervenerit, ut frequenter de novo virgines habere vellet, sicut habetur in libello Ester de Rege Ahasvero, quod qualibet die habebat unam & quæ ingrediebatur vesperi, egrediebatur mane nec habebat licentiam revertendi ad Regem, nisi Rex eam ex nomine vocasset, & secundum hunc modum numerus Reginarum infra duos annos multiplicari potuit, usque ad septingentas. Hæc Liranus. S. Augustinus, quia mos erat, polygamiam simultaneam in V. T. crimen fuisse negat.

Tertullianus l. 1. ad Uxorem id factum ait, ut esset, quod nova lex rescinderet; at lib. de Exhortatione castitatis Polygamiam antiquæ legis, nova lege compressam, olim variis rationibus obtinuisse adfirmat : *Sed & benedicti, inquis, Patriarchæ non modo pluribus uxoribus, verùm etiam concubinis conjugia miscuerunt. Ergo propterea nobis quoque licebit innumerum nubere. Sanè licebit, si adhuc typi, futuri alicujus sacramenta supersunt, quos Nuptiæ tuæ figurent, vel si etiam nunc locus est vocis illius, Crescite & multiplicamini, id est, si nondum alia vox supervenit, Tempus in collecto esse, restare, ut qui uxores habent, quasi non habentes agant. Vtique enim continentiam indicens, & compescens concubitum, seminarium generis, abolefecit Crescite illud & multiplicamini. Vt opinor autem, unius & ejusdem Dei utraque pronunciatio & dispositio est, qui tum quidem in primordio sementem generis emisit indultis conjugiorum habenis, donec mundus repleretur, donec novæ disciplinæ materia proficeret, nunc verò sub extremitatibus temporum compressit, quod emiserat; & revocavit, quod indul-*

indulserat, non sine ratione prorogationis in primordio & repastinationis in ultimo.

Tres rationes polygamiæ simultaneæ vetustissimus Patrum reddit, prima est, ut typi essent futurorum. Sic digamia Abrahæ typus erat Synagogæ per Agar; & Ecclesiæ per Saram denotatæ, interprete Apostolo Gal. IV, 22. Conf. 5. Ambr. l. 1. de Abrahamo. Ratio secunda, ut mundus repleretur, maximè verò Abrahæ genus multiplicaretur. Tertia, quod initia laxanda, & nuptiarum cura inprimis olim habenda, & nubendi licentia proroganda esset, cum *carnalis* successio *carnisque infirmitas* prædominaretur, at in N. T. cum Christus suo Spiritu gratiæ filios efficit & abundans est gratia, continentia commendatur, concubitus si non omnino potuit aut debuit compesci, saltem fuit moderandus & seminarium nuptiarum ad unas nuptias vel ad monogamiam (de simultanea loquor) restringendum. Tertulliano hac in parte plerique Patres consentiunt, sed secunda ratio nobis optima videtur.

Polygamia simultanea in primis Christianis tolerata.

Sub initia nascentis Ecclesiæ licet mundi Redemtor ad primigenium institutum nuptias revocasset, Matth. XIX, 4. Polygamia tamen simultanea in primis quoque Christianis aliquandiu fuit tolerata nec subito abrogari commodè potuit, quòd multi è Iudæis atque ethnicis conversi plures uxores secum adferrent, quos in conjugio turbandos Apostoli non duxerunt, lege tamen fixa, ut qui polygamus esset, Doctoris munus in Ecclesia non subiret. Hinc S. Paulus inter Episcopi & diaconi requisita collocat, ut sint *unius uxoris viri* 1 Tim. III, 2 & 12. Idem à presbyteris requirit Tit. 1, 6 quo ipso digami h. e. duas SIMVL Uxores habentes ab episcopatu vel presbyterio imò à diaconia excluduntur. *Ejusmodi* Christianos, scribit B. Calixtus, *sive pluribus uxoribus eodem tempore consuescerent, quod alicubi forte rarius;*

sive

sive quod ubique frequens, uni quidem cohabitarent, alteram verò per repudium à se amovissent, episcopatu abarcet Apostolus. Et paulò post: *Satius erat conversos in matrimoniis, cum quibus ad Christum venerant, relinquere, quàm medicinam, quæ morbo perniciosior esset adhibere. Tales bigami & polygami quamvis à professione fidei & religionis Christianæ non prohiberentur, & in cœtibus fidelium tolerarentur, ad sacrum tamen ministerium, quod omni crimine & scandalo vacare oportet, admitti non debuerunt. Hoc est, quod dicit Apostolus: VNIVS VXORIS MARITVM.* In Tract. de Conjugio Cleric. p. mihi 45.

Paulatim verò temporumque progressu polygamia simultanea omnis ab Ecclesia fuit proscripta adeò ut hodie inter adulteria & capitalia crimina plurium simul uxorum copula à plerisque Christianis (de Iudæis, Turcis, Paganis sermo hic nullus: *quid* enim *ad nos, qui extra sunt?*) recenseatur. Notanter dixi de PLERISQVE Christianis. Certè quarto adhuc seculo Valentinianus Senior Imperator licentiam duarum simul uxorum publica lege concessit, Princeps cætera orthodoxus, pius & justus, quod qua ratione sit factum, Socrates lib. IV. Hist. Eccl. c. 26. h. m. refert: *Fuit*, inquit, *Valentianus Iunior ex Iustina natus, quam Pater ejus, Valentinianus Senior priori conjuge Severa adhuc vivente duxerat idque tali de causa. Iustus, Pater Justinæ, sub Constantio Cæsare Præfectus Picenæ provinciæ insomnis videre sibi videbatur, purpuram imperatoriam è dextro suo latere veluti partum prodiisse, quod cum aliis narrasset, tandem ad aures Constantii fuit perlatum. Constantius è somnio augurabatur fore, ut ex Justo Imperator nasceretur, ideoque missis ministris Iustum fecit occidi. Iustina Filia Iusti parentibus orba lapsu temporis Severæ Conjugi Valentiniani Senioris innotuit, quæ crebro cum Virgine Iustina fuit conversata, eoque inter has duas familiaritas crevit, ut iisdem pariter balneis lavarentur. Egressa balneo Severâ, virginis Iustinæ insigni forma mirifice capta ad maritum Imperatorē*

Bigamia simult. inter Christianos lege olim saucita.

 per-

perrexit & virginis sibi in balneo perspecta decorem supra modum commendavit, dictitans, pulchritudinem ejus admirabilem esse, & seipsam, licet æquè fæmina esset, forma adeo venusta vehementer oblectari. Imperator conjugis suæ commendatione inductus de Iustina in uxorem ducenda consilium iniit, Severa, de qua Gratianum susceperat, neutiquam repudiata, quod ne vitio sibi daretur, legem tulit, ut CVIQVE VOLENTI LICERET DVAS VXORES LEGITIMAS HABERE, eamque legem in singulis civitatibus promulgavit. Lege latu ipse Iustinam uxorem duxit, ex qua Valentinianum Iuniorem (postea Imperatorem) & tres filias procreavit, quarum duæ in perpetua virginitate constiterunt, tertia Theodosio Magno nupsit. Hæc Socrates. At non videtur hæc lex altas in Ecclesia radices egisse, sed in herba, quod dicitur, periisse. Neque enim sectatos Veteres Christianos hanc legem uspiam invenio.

Polygamia simult. hodie inter Abassinos.

Cætera memini, ABASSINOS, Christianos in Æthiopia sub Presbytero Iohanne, uti vulgo loquuntur, quorum imperium inter maxima & potentissima orbis connumeratur, in hunc usque diem polygamos & plurium uxorum, si velint, maritos fieri, nec propterea pœnis civilibus ullis substare, sed in Republica tolerari, verùm in Ecclesia ab ingressu Templorum & à communione Sacrorum eos abarceri, donec cæteris dimissis (quod levi de causa licet) unam solum retineant. Verba ex Itinerario Æthiopiæ Alvaresii à Ioh. Bapt. Rhamnusio in Teutonicam linguam conversa quoad præsens hæc sunt: Es ist gebräuchlich / weil viel Weiber alda / daß die Reichen vermögsamen Leute zwey oder drey Weiber nehmen / welches jhnen vom Könige vnd der Weltlichen Obrigkeit wird vergönnet / obs schon in der Kirchen verbotten ist / denn alle / die mehr als ein Eheweib nehmen / dürffen nicht in die Kirche kommen / werden auch nicht zur Communion oder einigen Sacramenten gelassen / sondern man hält sie vor excommuniciret vnd als verbannete. Wie wir im Flecken Barna lagen /

war

war ich vnd mein Vetter bey einem zur Herberge mit namen Abæbitay / der hatte drey Weiber / die wir alle gesehen vnd gekand / die vns auch in ehren viel Freundschafft erzeiget / der sagte / er hette mit jhnen sieben vnd dreissig Kinder gezeuget / vnd wehre deßwegen von niemand besprochen / allein daß man jhn weder in die Kirche noch zum Sacrament wolte lassen. Aber ehe wir auß dem Lande zogen / hatte er zweyen Weibern urlaub gegeben vnd nur eine behalten / nemlich die er zuletzt genommen / darauff wurd er flugs zum Sacrament wieder gelassen / vnd durffte wieder zur Kirchen / als ob er vor niemals mehr als ein Eheweib gehabt hette. Interim apud eosdem Abaſſynos is, qui duabus uxoribus cohabitavit, licet altera ſit dimiſſa aut defuncta, ad Sacros ordines non admittitur, teſte eodem Alvarez, qui ſuperiori ſeculo per ſexennium cum Legato Regis Portugalliæ in his regionibus vixit. Fama fert Comitem fuiſſe à Gleichen / qui auſpiciis Muhammedanæ mulieris à captivitate Turcica liberatus, cum domi conjugem viam reperiſſet, à R. Pontifice diſpenſationem obtinuit, ut cum priſtina conjuge hanc, quàm è Turcia retulerat, uxorem retinere ſibi liceret, in cujus tamen hiſtoriæ veritatem inquirere nunc non vacat.

Nec minus operam pii Veteres dederunt, ut Sponſalia æquè ac Nuptiæ cum conſenſu Parentum agerentur, quod jam Tertulliani ævo in Eccleſia ſanctum fuiſſe hæc viri verba docent: NEC IN TERRIS FILII SINE CONSENSV PATRVM RITE AC JVRE NVBVNT. Lib. II. ad Uxorem, quo ipſo declarat novos Sponſos obſtrictos, ut ad Parentes accedant ante, quàm nubant, ſuasque voluntates ab iisdem confirmari petant. Illuſtre hujus rei exemplum Honorius Imperator præbuit, quem in cauſa Nuptiali Poëta loquentem inducit:

Conſenſus Parentum in Sponſalibus Veterum requiſitus.

Non rapio præceps alienæ fœdera tædæ,

Sed

Sed quæ Sponsa mihi pridem PATRISQVE relicta
Mandato —— ——

Pervulgatum est & Iuri Canonico insertum Evaristi Papæ A.C. 112. Decretum, cujus quidem Autor incertus, auctoritas tamen antiqua: *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur & à PARENTIBVS & propinquioribus sponsetur & legibus dotetur & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est* (NB. Ritus in Nuptiis veterum) *cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, & à paranymphis, ut consuetudo docet, custodita & sociata à proximis congruo tempore petita legibus detur ac solenniter accipiatur & biduo vel triduo orationibus vacent & castitatem custodiant. — Ita peracta, legitima scitote esse connubia, aliter verò præsumta, non conjugia, sed adulteria vel contubernia; vel stupra aut fornicationes potiùs, quam legitima conjugia esse ne dubitate*, ut legere est in Decreto Gratiani Causa 30. qu. 5. cap. 1.

S. Ambrosius laudat quidem Sisynnium, quod filio ignoverit, qui inconsulto Patre Nuptias contraxerat, agnoscit tamen filium ita nubendo peccasse, quòd Patris consensum in re nuptiali præstolari omninò debuisset: *Fuit*, inquit, *quod succenseres filio, sed fuit etiam, quod remitteres*. Et paulò ante: *Pulcrè ita gestum, quia* JVSTA INDIGNATIO, *fuit: modo enim CVLPAM fateri, ut paterna indulgentia plus laudetur*. Novæ quoque nuptæ autor est, ut consensu Soceri indepto viæ laborem excipiat & ad Socerum reconciliatum pergat, commodius hybernatura non solum in hospitio, sed & affectu paterno, cum indignationi gratia jam successisset. Epist. 43. Nisi S. Ambrosius consensum Parentum in Nuptiis liberorum reverenter habendum statuisset, non erat, quod tam solicitè pro filio, qui Patre non consentiente uxorem duxerat, deprecaretur.

Disertè

Disertè idem Vir ἀμβρόσιος lib. 1. de Abrahamo cap. ult. *Honorantur Parentes Rebeccæ muneribus, consulitur puella non de sponsalibus (illa einm IVDICIVM PARENTVM expectat: non est enim virginalis pudoris eligere maritum) sed jam desponsata viro de profectionis consulitur die, nec immeritò dilationem non attulit. Iure etenim properare debuit ad maritum. Vnde illud Euripidæum, quod mirantur plerique, unde translatum sit, manifestum est. Ait enim in persona mulieris, quæ tamen maritum volebat relinquere & alias petebat nuptias.* Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μέριμναν ἕξει κ᾽ οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε, *hoc est, Sponsaliorum meorum Pater meus curam habebit. Hoc enim meum non est. Ergò quod ipsi philosophi mirati sunt, servate virgines. Mulier etiam, si qua amisso citò marito adolescentula laqueum infirmitatis timet incidere, si vult, nubat in Domino, hoc est, ELECTIONEM MARITI PARENTIBVS DEFERAT, ne appetentiæ procacioris existimetur autor, si ipsa de Nuptiis suis electionem sibi vindicet,* quæ D. Ambrosii elegans sententia Iuri Canonico inserta, Causa 32. q. 4. c. 13.

Similiter Concilium Carthag. IV. jubet, ut sponsus & sponsa cum benedicendi sunt à Sacerdote, Ecclesiæ à PARENTIBVS in signum consensus eorum offerantur. Leo M. *Qualis,* inquit, *uxor esse debeat, quæ habenda est secundum legem, virgo casta & desponsata in virginitate & dotata legitimè & à PARENTIBVS tradita & à sponso & paranymphis accipienda & ita secundum Legem & Evangelium publicis Nuptiis in conjugium liquidè sumenda &c.* quod dictum itidem Corpori Canonico inditum, Causa 30 de Nuptiis Clandestinis q. 5. c. 4 & 5. Videtur in Vet. Ecclesia mos fuisse non copulandi novos sponsos, nisi Parentibus, si qui superessent, præsentibus suaque præsentia consensum publice coram Ecclesia contestantibus, contra quem laudatissimum morem hodie Ecclesiarum ministri graviter peccant, qui copulam sacer-

dotalem turpiter prostituunt, dum vagabundos quosvis parentum conseusu irrequisito, spe alicujus lucelli copulant. Nec mirum ab Ecclesia prisca consensum Parentum tam sanctè in Nuptiis requisitum, cùm vel ethnici ex lumine naturæ idem faciendum cognoverint. *Impares Nuptiæ*, scribit Apulejus l. 6. *vel in villa sine testibus & PATRE NON CONSENTIENTE factæ legitimæ non videntur.* Sed de hac re Canonistæ, & ICti ff. de Ritibus Nuptiarum & C. de Nuptiis consulantur.

Consensus Contrahentium necessarius.

Neque verò id ita accipias, quasi *solo* Parentum consensu Nuptias aut Sponsalia agere fas olim fuerit. Absit! Inprimis Veteres de *ipsorum CONTRAHENTIUM CONSENSU* (horum enim res agitur) solicitos invenio. In ipsis SS. cum Rebeccæ Pater & Frater cum servo Abrahami de Nuptiis Rebeccæ tractarent, virgo advocabatur, dicente Laban: VOCEMUS PUELLAM ET EJUS VOLUNTATEM INQUIRAMUS! Gen. XXIV, 57. Factum hoc Veneranda Antiquitas piè imitata est. *Sufficiat*, scribit ad Bulgaros Nicolaus Papa, *secundum leges solus consensus eorum, de quorum conjunctionibus agitur, qui consensus si in Nuptiis solus forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* Causa 27. q. 2. c. 2. quod ne supra dictis, quibus non solum consensum contrahentium ad Nuptias sufficere, sed & Parentum consensum correquiri diximus, contrarium quis existimet, expressè additur, sufficere quidem sponsorum vel candidatorum matrimonii consensum, sed SECUNDUM LEGES: Hæ verò, ut probavimus, Parentum æque ac contrahentium consensum coëxigunt. Tam necessarius porrò hic partium contrahentium consensus olim habitus est, ut hoc uno absente Sponsalia nulla, nullæ Nuptiæ fieri potuerint. Rectè iterum Nicolaus Papa: *Ubi non est consensus utriusque, ibi non est conjugium. Ergo qui pueris dant puellas*

in cu-

in cunabulis & è converso, nihil faciunt, nisi uterque puerorum, postquam venerint ad annos discretionis, consentiant. Causa 30. q. 2. c. 1. His gemina habentur C. Tuas dudum, de Sponsa duorum; & C. unico de SPONSALIBUS IMPUBERUM.

Vana autem & primis Ecclesiæ seculis inaudita est Rom. Pontificis, Stephani arrogantia, qui data ad Carolum M. epist. ostendere satagit, *sine Papali consensu* Regibus Francorum haud licere extra suam gentem uxores ducere, eoque prætextu Sponsalia, quæ Carolus cum Virgine Lombardica inierat, temerario ausu rescidit; quasi verò non sit cuivis, adeoque Regibus etiam Franciæ liberum uxores, undecunque velint (modò ne publica honestas lædatur) accipere, nisi Româ consensus petatur. Scio quidem in Vet. Eccl. receptum, ut primi Christiani inconsultis Sacerdotibus Nuptias temere non agerent, quod supra testimoniis Veterum confirmavimus. Sed hoc omne spontaneum erat eaque causa inductum, ne qua puella aut adolescens cum infidelibus aut hæreticis per errorem conjunctus animæ jacturam Nuptiis malè consultis faceret. Sed lege publica nunquam hic mos καθ' ὅλȣ fuit in usu, qui tamen publico bono salubriter olim, fateor, obtinuit (2) præteritis ordinariis Sacrorum ministris, trans alpes missum Româque à Pontifice exteros nupturos consensum petiisse, nulla nos docet Antiquitas. Politicum in facto illo Stephani videtur strategema subesse; metuebat scil. Papa, ne Lombardis & Francis conjugio unitis, Unio illa τῇ παπομαιομανίᾳ, cujus jam eo ævo fundamenta Pontifex struxit, fraudi ac detrimento esset.

Consensus Papæ in Nuptias.

His, quas ordine exposui, cautelis circa Sponsalia observatis, puta ne cum infidelibus aut consanguineis, ne inconsultis Sacerdotibus, aut invitis Parentibus, ne cum pluribus simul contraherent, etc. liberum fuit, qualemcunque

ducere ſive nobilem ſive pauperem ſive opulentam, ſive illibatam ſive ψευδοκόρην, vel meretriculam (quales Nuptias Ius Canonicum *Operibus Miſericordiæ* accenſet) ſive vetulam ſive juvenculam, ſive deformem ſive formoſam ſive virginem ſive viduam etc. Interdum pauperculæ puellæ Magnorum Principum, Regumque & Imperatorum thalamos ſunt ingreſſæ, quod vel ex Sacris exemplo Reginæ Eſther conſtat, quæ parentibus orba, è captivis Iudæis, populo gentibus inviſo delecta potentiſſimi Monarchæ Ahasveri conjux fieri dotibus animi ac corporis emeruit.

Pauperes Nuptiis evectæ.

Similem in modum Conſtantinus Orientis Imperator ſub ſeculi (XI) primordia Filio ſuo Romano puellam, formæ quidem tam eximiæ, ut *naturæ miraculum* vocaretur, ſed humilis, imò ſordidi generis (ex cauponibus enim oriunda ferebatur) deſponſavit, quæ cum olim *Anaſtaſia* vocaretur, Imperatori nupta *Theophanonis* nomine, quod divinus ex ejus vultu ſplendor emicaret, fuit inſignita, teſte Zonara, Tom. III. Annalium. Eodem ſeculo Vdalricus Rex Bohœmiæ (Libuſſam Reginam Bohœmiæ, quæ ruſtico Primislao nupſit, huc non refero ne infidelium conjugia cum Nuptiis Chriſtianorum, quas hic tradere animus eſt, confundam, ſed) Vdalricus, inquam, Dux Bohœmiæ Chriſtianus, dum ex venatione ad aulam revertitur, in via publica virginem ruſticam veſtimenta lavantem, Bocenam intuetur, quam ob egregiam pulchritudinem, ſermonis ſuavitatem moreſque caſtiſſimos invitis Conſiliariis matrimonio ſibi jungit, memorante Bonfinio l. 2. Decadis 2. Ita per illuſtria conjugia pauperes ſæpe de terra levati, eundem cum Regibus thorum ſubierunt, in quibus Davidicum illud impletum: *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat & humilia reſpicit in cælo & in terra? Suſcitans è terra inopem & de ſtercore erigens pauperem, ut collocet eum cum*

princi-

principibus, cum principibus populi sui. Psal. 113, 8. Tam admirabilis certe conjunctio singularem Dei circa Nuptias Providentiam arguit, unde natum vulgare illud:

FIVNT CONNVBIA FATO!

Fato, non Stoico vel absoluto Dei decreto, sed Deo, salva arbitrii humani libertate animos futurorum conjugum disponente, quod Germani hoc rhytmo efferunt:

Kein' Ehe wird auff Erden vollbracht
Sie ist zuvor im Himmel bedacht.

Quod ad *Ritus Sponsaliorum* attinet, hos inter mos dandi ARRHAS SPONSALITIAS eminet, quales adhuc in fidem & confirmationem Sponsaliorum dari solent. De civili quidem jure sponsus subarrhare sponsam, at non vicissim sponsa ad arrhas sponso dandas tenetur, quod ex Gratiani, Valentiniani aliorumque Christianorum Impp. sanctionibus constat, videturque idem mos jam in V. T. solennis: nam Gen. XXIV, 53. Eleazar Isaaci pararius & proxeneta *γαμήλια aurea & argentea* arrhæ loco distribuisse legitur, & adhuc inter Iudæos stricte observatur, ut sponsus det arrhas sponsæ, non autem contra, unde in præceptis affirm. 48. Rabbini dicunt: *Initianda est uxor ducenda vel pecuniâ vel scripto idque faciendum coram testibus, subarrhatio autem fieri potest dimidio siclo*; hodierna tamen Christianorum consuetudine etiam sponsa dat arrhas sponso. De Arrhis Sponsalitiis.

Ad hunc subarrhandi morem Apostolus respicit, eumque ad mysticum Conjugium Christi cum fideli anima eleganter accommodat, dum à Christo ARRHABONEM SPIRITUS cordibus nostris immissum docet II Cor. 1, 22. Arrhabo proprie dicitur pars pretii, quæ sub initium contractus persolvitur, ut fides fiat de residua quoque summa certò persolvenda. Germ. das Angeld eines Kauffs. Latinus quidem Interpres pro arrhabone *pignus* vertit sed non satis vim De Arrha Spiritus 2. Cor. 1, 22.

vocis expressit: *Arrhabo* enim (scribit B. Hieronymus Comment. in Eph. I.) *futuræ emtioni quasi quoddam testimonium & obligamentum datur, pignus verò h. e. ἐνέχυρον pro mutua pecunia deponitur, ut cum illa reddita fuerit, reddenti debitum pignus à creditore reddatur.* Hinc prisci Patres primitias sanguinis, quas Servator in circumcisione profudit, ARRHAM REDEMTIONIS apposite vocant. Sed in re Nuptiali, cum desponsatio itidem sit quidam quasi contractus, vox arrhabonis vel arrhæ ad dona, quæ in argumentum promissi matrimonii dantur, fuit aptè translata, & sanè rectius sponsalitia hæc munera dicuntur arrhæ, quàm pignora, quod secutis Nuptiis in donationem propter Nuptias imputentur. Huc digitum intendens Apostolus Christum & Ecclesiam Sponsos constituit, qui sibi mutuò arrhas in symbolum Nuptiarum certò futurarum jam dederint, Christus quidem arrham sui Spiritus; Ecclesia Christo arrham assumtæ carnis ultrò citroque dederint, quibus mystica hæc Sponsalia peracta, donec (quod Deus faxit propediem!) Nuptiæ Agni in æterna Gloria consummentur. Pulcrè Tertullianus lib. de Resurrect. Carnis cap. 51. *Christus sequester Dei & hominum appellatus ex utriusque partis deposito commisso sibi carnis quoque depositum servat in semetipso* ARRHABONEM TOTIVS SVMMÆ: *Quemadmodum enim nobis arrhabonem Spiritus reliquit; ita à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cælum, pignus totius summæ illic aliquando redigendæ.*

Ad arrhas sponsalitias inprimis referendus ANNVLVS, quem pignoris loco in sponsalibus sponsus olim dare aut mittere sponsæ solebat. Tertullianus eundem venustè *pronubum* dixit. In Apologet. Cap. VI. *Circa fœminas,* inquit, *etiam illa majorum instituta ceciderunt, quæ modestiæ, quæ societati patrocinabantur, cùm aurum nulla norat, præter unico digito, quem sponsus oppignerasset PRONVBO ANNVLO.* Eo sponsus

Annulus pronubus.

sus non subarrhabat tantum virginem, sed & jus in res domesticas ei consignabat, docente Clem. Alexandrino l. III. Pædagogi sui cap. XI. *Dat eis*, inquit, *ANNVLVM AVREVM, nec eum quidem ad ornatum, sed ut ea obsignent, quæ domi digna sunt, quæ custodiantur, propterea quod servandæ domus cura ad eas pertineat.* Addit ibidem: *Quæ autem aurum gestant mulieres, mihi videntur timere, ne si quis aurum ab eis abstulerit, existimentur ancillæ, ut quæ non sint ornatæ*, quia non omnibus olim concessum gestare annulos aureos, sed ingenuis duntaxat, servis verò & libertis jus annulorum non fuit.

Ferreum olim annulum eumque *sine gemma* sponsæ sua ætate mitti consuevisse, autor est Plinius lib. 33. Nat. Hist. Cap. I. *Etiamnunc*, ait, *sponsæ annulus ferreus mittitur isque sine gemma. Gemma aberat*, verba sunt Magni Scaligeri lib. 3. de Re Poëtica cap. 101. *ut rei describeret simplicitatem.* Materia annuli ad constantiam spectabat, forma ad perpetuam devinctionem. *Ferreum* annulum? Atqui Tertullianus & Clemens Alexandr. locis jam productis *aureo* annulo virgines desponsatas referunt. Vulgo hanc ἐναντιοφάνειαν sic tollunt, ut Plinium existiment, ad rudia illa & prisca secula & ad antiqui victus parsimoniam frugalesque veterum mores respexisse; at hos SS. Patrum Duumviros luxum sui seculi auro ac gemmis superbientis denotasse. Verùm obstat, quod Plinius exsertè de suo ævo loquatur. Id enim docet vocula: ETIAMNVNC! Vixit autem Plinius vix uno ante Tertullianum seculo. Vterque post N. C. ille seculo Primo exeunte, hic seculo Tertio inchoante, sed jam Plinii ævo, imò ante Plinium Romæ tantus erat luxus, ut vel ex auribus matronæ quædam tot margaritas vel uniones suspenderent, quarum valor censum equestrem adæquare imò superare potuisset. Hinc Seneca, Cap. 17 de Vita Beata: *Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit?*

Annulus ferreus an aureus?

Matro-

Matrona incedit census induta nepotum.

Itaque si Plinii ævo ferreus annulus sponsæ missus, non certè rudia vel frugalia secula, quibus auri copia nondum erat, designat. Vtri credemus, an Plinio, qui ferreum; an Tertulliano & Clementi, qui aureum pronubum annulum dixere? Placet nobis conciliatio Iunii Notis ad Tertullianum: *Sponsus*, ait, *duos annulos sponsæ dabat, aureum alterum, quo velut arrha sponsam sibi despondit eamque de Nuptiis propediem futuris securam præstitit, & hunc Tertullianus pronubum vocat; alterum ferreum gemmaque carentem ceu symbolum τῆς οἰκουρίας. Sponsus ad domum sponsæ mittebat*; perinde ut hodie novi sponsi duos sibi invicem annulos donant, alterum quo primùm desponsantur, alterum (den Trawring) quo in facie Ecclesiæ copulantur.

Luxus circa annulos.

Veteri ergò ævo unus ex auro annulus Virgini dabatur, quo sponsaretur, postea verò digitos annulis pluribus onerarunt dicâm, an ornarunt, imò & gemmis exquisiti splendoris auctoritatem auro conciliarunt, quo refer illud Cypriani de Bono Pudicitiæ, ubi *digitos auro onustos* reprehendit: *Cum digiti*, inquit, *tali auro onerati nec intrare possunt, nec egredi, utrum usus exposcitur, an patrimoniorum inanis pompa monstratur?* Solebant porrò sponsales vel nuptiales annulos certo *insigni* aut hieroglyphico notare, quem morem Clemens Alexandr. lib. 3. Pædag. ostendit: *Sint nobis* (ait) *signacula, columba, piscis, navis, quæ celeri cursu à vento fertur, vel lyra musica, qua usus est Polycrates, vel anchora, quam insculpebat Seleucus. Si sit piscans aliquis, meminerimus Apostoli & puerorum, qui ex aqua extrahuntur; sed idolorum facies annulis imprimendæ non sunt, quibus vel minimum attendere prohibitum est, sed nec ensis aut arcus iis, qui pacem prosequuntur, nec poculi iis, qui sunt moderati & temperantes.*

Insignia annulorum.

In primis apud Christianos obtinuit, ut pronubo annulo signum *Fidei*, quod est hieroglyphicum mutui fæderis ac con-

ac concordiæ insculperetur, idque præ se tulerunt *dextræ* utrinque conjunctæ, quasi dato annulo dicerent: *En dextra fidesque* ! Porrectione autem dextræ veteres non Christianos tantùm, sed & Judæos & gentiles fidem spondere solitos notum est. Vide plura de his apud Baronium Tomo 1. Annal. Eccl.

Digitus, quem pro nubus annulus exornabat, in sinistra manu minimo erat proximus, quod è Christianis Dd. Isidorus Hispalensis lib. 2. de div. offic. cap. 15. confirmat: *In primis Nuptiis*, ait, *annulus à sponso sponsæ datur quod fit vel propter mutuæ dilectionis signum vel propter id magis, ut hoc pignore corda eorum jungantur.* Vnde & *quarto* digito annulus inseritur, ideo quod in eo vena quædam (ut fertur) sanguinis ad cor usque perveniat, qua de re A. Gellius l. 10. cap. 10. dixit: *Veteres annulum habuisse accepimus in digito sinistræ manus, qui minimo est proximus, quod in sectis apertisque humanis corporibus, ut mos in Ægypto fuit, quas græci* ἀνατομὰς *appellant, repertum sit, nervum quendam tenuissimum ab eo digito ad cor hominis pergere ac pervenire*, quod tamen accuratè refellit Kirchmannus erudito de *Annulis* libello. Equidem dubito, an Medicis, & Anatomicis, notabilis hujusmodi vena in humano corpore sit reperta, adeoque vereor, ne οἱ τῶν ἰατρῶν χαρίεντες nobis hic contradicant. Obiter de variis veterum modis gestandi annulos verba Plinii subnectere placet: *Singulis primo digitis gerere mos fuerat, qui sunt minimis proximi, ut in Numæ & Servi Tullii statuis videmus. Postea pollici proximo induerunt etiam deorum simulacris; deinde juvii & minimo dare; Galliæ Britanniæque in medio dicuntur usæ, quanquam hic nunc solus excipitur, cæteri omnes onerantur.* Hæc de prisco annulorum usu Plinius lib. 23. Nat. Hist. c. 11.

Annulus pronubus quo digito?

Præter annulum nova sponsa OSCVLO excipi solebat, quod initium consummandarum Nuptiarum, tessera

De Sponsorum Osculis.

F Spon-

Sponſalium, & initialis quaſi ſponſæ fruitio erat. Solius oſculi interventu ſponſalia conſtituta, docet L. *Si à ſponſo* 16. C. *de Donat. ante Nupt.* Nam civiles quoque & Juſtinianeas LL. hac in re adduci oportet, cùm matrimonium ſit civilis quaſi contractus vel aliquod ſaltem ejus inſtar, circa quod ordinare plurima civiles magiſtratus poſſunt: expreſsè quoque S. Chryſoſtomus Serm. 47. in Matth. affirmat, Sponſalia ſua veteres Chriſtianos ad LEGES CIVILES conformaſſe. E Romanis ergò Legibus diſcimus, quid Iuſtiniani ævo & proximè ſubſecutis temporibus, hoc eſt ſeculis abhinc undecim in Eccleſia, æquè ac Rom. Imperio circa Sponſalia circa Nuptias, circa cauſas matrimoniales obtinuerit, quo nomine Leges civiles præſertim Iuſtinianeas Studioſis Antiqq. meritò commendamus. Sed nos ad oſcula ſponſalitia, redeamus. Veteres temerè oſculum nemini dabant, ne ſponſis quidem, ſed unicum, quo ſponſalia obſignabant. Hinc in Novellis de Sponſalibus docemur *confirmari Sponſalia datis arrhis & oſculo*, imò quæ oſculum dederat, uxoris loco cenſebatur; *Hinc* Quintilianus *ſolo oſculo conjuges putari* refert Declam. 370.

Oſculum Sponſale Chriſti & Eccleſiæ.

In Dei populo, ſub V. T. novos ſponſos ſe invicem oſculatos vel prima Cantici verba docent, ubi Sponſa Chriſti: *Oſculetur me*, inquit, *oſculo oris ſui!* ad quem locum S. Bernhardus: *O felix oſculum & ſtupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, ſed Deus homini unitur, & ibi quidem contactus labiorum complexum ſignificat animorum; hîc autem conſideratio Naturarũ divinis humana componit, pacificans, quæ in terra ſunt & quæ in cælis.* Eleganter hæc myſtica oſcula exemplo à *ſponſis* petito S. Ambroſius declarat: *Conſtitue,* ait, *Virginem deſponſatam multo tempore & juſto* Sponſi *amore ferventem, quæ multa præclara dilecti opera probabilium teſtium aſſertione cognoverit, deſideriis ſuſpenſis frequenter dilatam, jam non*

feren-

ferentem moras, quæ omnia fecisset, ut Sponsum videret, votis suis aliquando potitam ad improvisum Sponsi adventum gaudio turbatam non quærere primordia salutationis, non verborum vices, sed statim, quod desideraverat, osculum *exigere: ita sancta Ecclesia sub primordia mundi desponsata in Paradiso, præfigurata in diluvio, annunciata per Legem, vocata per Prophetas diu redemtionem hominum, Evangelii decorem, dilecti expectavit adventum, tandem moræ impatiens in oscula ruit dicens: Osculetur me osculis oris sui!* Serm. I. in Psal. 118. Iterum S. Bernhardus Serm. in Cant. *Sufficit Sponsæ, si osculetur ab osculo Sponsi, licet non osculetur ab ore.* S. Ambrosius hoc osculo intimum, qui inter Sponsos est, amorem denotari pulcrè affirmat lib. de Isaac & anima cap. 3. *Osculatur nos Deus, quando cor nostrum Spiritu suo illuminat, quo donata anima, læta* NVPTIALI CHARITATIS PIGNORE (accommoda sponsalis osculi descriptio) *dicit: Os meum aperui & Spiritum duxi! Osculum enim est, quo amantes sibi invicem adhærent & velut interioris gratiæ suavitate potiuntur. Per hoc osculum anima Deo adhæret, per quod sibi transfunditur Spiritus osculantis, sicut etiam hi, qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi invicem videntur infundere*, quæ OSCVLI MYSTICI exegeses veterum Patrum satis superque morem osculandi inter sponsos olim receptum confirmant.

Et quid quæso manifestius illo Tertulliani, cujus apud omnes antiquitas est venerabilis: *Ad desponsationem*, inquit, *velantur Virgines, quia corpore & spiritu, masculo mixtæ sunt per OSCVLVM & dextras, per quæ primum resignarunt pudorem spiritus per commune conscientiæ pignus, quo totam condixerunt confusionem.* Lib. de velandis Virgin. cap. 11. Vota ergo conjugalia *mutuis osculis* libata. Paulo ante: *Desponsatæ*, inquit, *habent exemplum Rebeccæ, quæ cùm ad sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognovit esse, quem de longinquo* pro-

De Osculi nubentium.

prospexerat, non sustinuit dextræ colluctationem nec OSCULI CONGRESSIONEM nec salutationis communicationem, sed confessa quod senserat i.e. spiritu nuptam, negavit virginem, velata ibidem. O mulierem de Christi disciplina ! Ostendit enim, etiam Nuptias fieri de aspectu & animo, quemadm stuprum. Ratio *sponsalis osculi* erat mutui amoris firmamentum. *Osculum* enim *mutui amoris signum est*, dicente S. Ambrosio lib. 6. in Luc. In eundem sensum Scaliger Exercit. 310. *Amans cum re amata* Sponsus cum Sponsa *unum esse, quoad licet, appetit. Quocirca & hærent & corpora conserunt & spiritus duos osculorum conjunctione unus ut sit, faciunt, id quod amoris fundamentum cum putarent veteres Sapientes, basium græca voce nominarunt.* Eleganter inprimis Tertulliano *sponsale* illud, *osculi congressio* dictum, quia *maritale osculum* erat carnalis copulæ seu conjugalis actus antecænium. Hinc eidem censetur *commune conscientiæ pignus, quo totam condixerunt confusionem* h. e. pignus, quo conscientias suas novi sponsi constringunt, se fidem conjugalem invicem servaturos; Item actus, quo fæmina masculo miscetur h. e. despondetur & corpore & spiritu; actus denique, quo primum pudorem virgo resignat: apud veteres enim (ut dixi) libatio osculi sponsalium erat index.

De cætero, præter osculum SANCTUM, cujus in veterum Christianorum S. Synaxi frequens erat usus, φίλημα ἅγιον Apostolo dictum Rom. XVI, 16. 1 Cor. XVI, 20. tria invenio osculorum genera, primum fiebat honestatis ergo idque *osculum* simpliciter; Secundum affinitatis, idque *basium*; Tertium Voluptatis, quod *suavium* vocabant. Primum ex civili humanitate, secundum ex innata pietate, tertium libidinis erat. Duo priora Tertull. d. l. appellat *Salutationis communicationem*: Olim enim amici aut cognati dum se invicem salutarunt, mutuis se osculis exceperunt: *Quid*

loquar,

loquar, inquit S. Ambrof. lib. 6. Hexam. cap. 9. *de osculo oris, quod pietatis & charitatis est pignus? osculantur se & columbæ, sed quid ad osculi humani venustatem, quo amicitiæ & humanitatis insigne præfulget, in quo plenæ Charitatis fides exprimitur.* Tertium osculi genus Tertull. est res fœda, quia actum carnis aspirat, de quo Plautus in Curcul. act. 1. sc. 1.

Qui è nuce nucleum vult esse, frangit nucem,
Qui vult cubare, pandit saltum suaviis.

Obscænus est horum sensus, quamvis etiam Tertulliano oscula nubentium pudorum virginalem resignare dicantur, quòd oscula sint præludia actus &c. Sed ipsa nos verecundia à talibus avocat. Exponuntur tamen hæc omnia verbis ferè iisdem, imò prolixius à Georgio Ambianate, Monacho Capucino, Parisiis Prof. Theol. Notis ad Tertull. lib. de *velandis virg.* cap. 11. qui in eo quoque modum excedit quod oscula nubentium cum osculis impudentiæ ac libidinis ferè componat.

Oscula Sponsorum æquè ac conjugum sunt casta, honestum habent finem, nec *per se* contra τὸ πρέπον, sed meretricia illa sunt *incesta*, uti ex re & vero dixit Clem. Alexandr. lib. 3. Pædag. sunt libidinum seminaria & scortationis vel adulterii pudenda præambula. Hinc P. Mænius filiæ mandabat, ut non virginitatem tantum illibatam, sed & SINCERA OSCVLA futuro marito deferret. Autor est S. Augustinus l. 21. de Civ. Dei cap. 11. osculum alienæ fæminæ datum olim dignum *verbere* habitum; & Cardinalis Tuschus Dominicanus meminit Neapoli ejus, qui in via publica virginem nubilem contra ejus voluntatem esset osculatus, pœnam fuisse *relegationem à loco delicti per* (30) *milliaria & mulctam juxta facultates delinquentis infligendam.* Bossus in tit. de extraord. crim. refert in Gallia hominem securi percussum, quod mulieri recens nuptæ osculum violentum

De osculo incesto ac libidinoso.

dedisset, idque inprimis Episcopus Spirensis, Comes à Leiningen recordari debuisset, qui Agnetem Conjugem formosissimam Rudolphi Habsburgensis Cæsaris in solenni pompa de rheda descendentem excipere jussus, insigni Augustæ forma illectus in publico omnium conspectu osculum ejus genis impressit, quam jucundam historiam juvat vernaculo sermone ex Chronico Cæsarum Mich. Saxonis recensere: Käyser Rudolff von Habsburg nam in hohen alter sein ander Gemahl Agnes / die gar jung vnd schön war / eine Tochter des Hertzogs von Burgund / mit welcher er aber hohen alters halben keine Kinder zeugete. Als diese einstmahls vom Bischoff zu Speyer / der ein Graff von Leiningen war / vom Wagen gehoben ward / vnd der Bischoff durch jhre schönheit bewegt / jhr wieder jhren willen einen Kus auff den Backen gab / verdros es die züchtige Käyserin also / daß sie es jhrem Herrn klagte. Käyser Rudolff da ers hörte / ward zornig vnd lies dem Bischoff sagen / Er solte jhm vor seine Augen nicht wieder kommen vnd jhm ein ander Pacem zu küssen schaffen / denn dis Pacem hette Er für sich allein erwehlet. Also muste der Bischoff umb des unverschämten Kusses willen aus dem Lande reiten / vnd sich an frembden orten bis zu des Käysers tode verbergen. Vid. Chronologia Schopperi, & Pantalæon. Nobis hæc de Osculis nubentium, licitis, illicitis dixisse sufficiat.

De junctis Sponsorũ manibus.

Porrò prisci Sponsalia inituri *manus* sibi invicem dabant, quod denuò Tertullianus loco jam citato confirmat, dum virgines velatas desponsari & masculo misceri scribit *per osculum* & DEXTERAS, in quæ verba Georg. Ambianates doctè commentatur: *Observandum*, ait, *manus nubentium olim junctas mutuoque fœdere sociatas; manus enim maximè dextra ad fœdus & amicitiæ symbolum apta.* Vnde & ille Æn. 6.

—— Da jungere dextram,
Da genitor teque amplexu ne subtrahe nostro.

In-

Inprimis ad Matrimonium porrectio dextræ aptissima. Nam sicut veteres rerum possessiones injecta manu sumebant, unde & mancipia quod manu caperentur; sic mutua corporum traditio manuum innexione transigebatur. Hinc Dido dum Sponsalia sua refert Æn. 4. ita lamentatur:

Nec te noster amor, nec te data dextra quondam
Nec moritura tenet crudeli funere Dido.

Simili modo Tertull. de Rebecca mox nuptura: Non sustinuit dexteræ colluctationem i.e. non expectavit manuum complicationem, qua amoris vinculum grata colluctatione nectebatur, socialisq; vita, imò conjugalis amicitia, dato arrhabone promittebatur. Sic & Origenes Homil. 2. in Cant. explicat illud: Læva ejus sub capite meo & dextera illius amplexabitur, Totum, inquit, te Sponsi dextera complexatur, longitudo quippe & anni vitæ in dextera ejus & ob id longæ vitæ eris super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Porrectis ergo dextris Sponsalia olim firmata.

Præter illa è priscis seculis mos receptus est conficiendi *Tabulas & Instrumenta* de pactis sponsalitiis, quibus si qua mors immatura conjuges dirimeret, de hæreditatis successione aliisque ad futurum matrimonium spectantibus disponebatur. *Hæ sunt tabellæ*, scribit Tertull. l. de veland. virg. cap. 12. *priores naturalium sponsalium & nuptiarum.* Duûm generum *tabulas sponsales* constituit, *Naturales* & ut sic loquar, *Morales*. *Morales* inquam, quæ à novis sponsis eorumque Parentibus aut cognatis in literas ad arbitrium contrahentium redigi manuque scribi aut stylo exarari solebant, quas propriè *Tabulas nuptiales* dicimus. De his Tertull. l. 2. ad Vx. cap. 3. *Nunquid* TABVLAS NVPTIALES *die illo ad Tribunal Domini proferemus & allegabimus, quod vetuit?* Tabulæ aliàs sive tabellæ erant codicilli ex ligno cera obducti, in quibus acta publica scribebantur pactionesque matrimoniales consignabantur, adeoq;

De Tabulis Matrimonialibus.

deoque hæ tabellæ matrimonii fidem faciebant ejusq; conditiones exprimebant, ne post illa lis inter novos conjuges, si forte ἄτεκνοι essent, vel inter affines ac soceros suscitaretur. Tabellas *Naturales* Tertull. κατ' ἀναλογίαν vocat, quæ à natura carni & animæ imprimuntur: sicut enim tabellæ nuptiales chartâ consignatæ sunt testes futuri matrimonii: sic instar tabellarũ habent naturalia illa, quæ animo & corpore fæmina nubilis patitur. Animo, qui (suscepta pube) libidine vexatur; Corpore, de quo menses tributa pendunt, unde puella viro matura innotescit. Has matrimonii tabellas Natura consignat. Priores illas S. Augustinus Serm. 244. *Tabulas matrimoniales*; Germani die Eheberedung oder Ehestifftung appellant. De iisdem S. Hieronymus Epist. ad Furiam: *Scribuntur tibi nunc SPONSALES TABVLÆ, ut post paululum testamentum facere compellaris.*

In V. T. similis mos obtinuit. Hinc cum Raguel filiam suam Tobiæ despondisset, ἔγραψε συγγραφὴν καὶ ἐσφραγίσατο ut habet græcus, interprete latino, *accepta charta fecerunt conscriptionem conjugii*, Tob. 7,16. Hæ sponsalitiæ conventiones in tabulas redactæ signatoriis eorum, qui intererant, annulis signabantur, ut colligitur ex illo Iuvenalis:

Veniet cum signatoribus auspex.

De civili jure instrumenta dotalitia olim exigebantur, cùm quis concubinam, ex qua liberos habebat, uxorem duceret §. fin. Instit. de *Nupt.* Item in Nuptiis inter personas honestate impares v. gr. si Senator scenica cum contraheret. L. *Si donat.* L. *Imperiales*. C. de *Nupt.* hodieque in Nuptiis illustrium personarum instrumenta hujusmodi exigi solent, at in cæterorum Sponsalibus de necessitate non sunt, quod & jure civili ita obtinere docet Covarruv. de Matrim. p. 2. cap. 8. Convivia denique sponsalicia antiquissimis temporibus usitata constat ex Gen. 24,54. ubi Laban & Bethuel post

De Conviviis Sponsalitiis.

post desponsationem Rebeccæ Servum Abrahæ convivio exceperunt *vescentes pariter pariterque bibentes*. Quin & Tob. 7. 17. post scriptas & subscriptas tabulas sponsales laus Deo dicta est & convivium sponso à Socero apparatum, quam consuetudinem veteres Christiani sunt subsecuti, horumque vestigiis adhuc insistimus, ita tamen, ut, si inter ipsos contrahentes legitima desponsatio intercesserit, rata Sponsalia æstimemus, si vel maximè nec arrhæ nec munera sponsalitia nec tabulæ Nuptiales nec epulæ sponsales accesserint, cùm nihil horum sit de essentia Sponsalium.

De DOTE & prisco dotandi more.

DOTEM quod attinet, à primis Ecclesiæ seculis mos *dotandi* in Sponsalibus obtinuit. Testem laudo Evaristum Papam A. 97. vel quisquis Autor sit Decreti de Copula Sacerdotali: *Aliter*, inquit, *legitimum non fit matrimonium, nisi uxor à Parentibus aut propinquioribus sponsetur & legibus DOTETVR*, quo statuto ad legitima Sponsalia requiruntur duo, Consensus Parentum vel Cognatorum; alterum est DOS *Legibus* conformis, ubi per *Leges* puto *Romanas* intelligi: Nam inprimis Romani Dotis rationem in uxore ducenda habuerunt; quod ex lib. 23. Digestorum Tit. 3. de JURE DOTIUM satis superque constat, ubi de dominio in Dotem, de Dote data, promissa, adventitia, profectitia, naturali, civili, de origine Dotis, de forma Dotis & Pactis Dotaliciis, de fine & effectu Dotis, de Iure Dotalitiorum, de restitutione Dotis &c. Romani juris Interpretes copiosè agunt. S. Augustinus lib. 12. de Gen. ad literam cap. 41. cum de Protoparentum Nuptijs accurate differit, ritus Nuptiales, & inter hos DOTANDI morem succinctè refert: *Nisi forte*, inquit, *Sponsa à Patre erat tradenda & expectanda voterum solennitas, convivii celebritas & dotis æstimatio, & conscriptio tabularum*, unde discimus Augustini ævo circa matrimonium hæc sex in usu fuisse. Primum fuit CONSENSUS PARENTUM,

 Secun-

Secundum COLLATIO DOTIS. Tertium CONFECTIO TABULARUM Matrimonialium. Quartum Nuptiarum post Sponsalia DILATIO. Refert enim *expectanda* solennia fuisse. Quintum ipsæ NUPTIÆ SOLENNES, in sacerdotali copula sitæ; & Sextum denique CONVIVIUM Nuptiale, quòd haud vulgare fuisse constat, cùm d. l. S. Augustinus *celebre* hæc convivium appellet.

S. Hieronymus in Epist. ad Oceanum inter uxorem & concubinam hoc nomine discernit, quòd *uxori tabulis & jure DOTALI fuerit opus, quibus concubinæ fuerint destitutæ.* Leo dist. 30. q. 5. C. Qualis: *Vxor*, ait, *secundum legem ducenda sit virgo casta, desponsata in virginitate, DOTATA legitimè & à parentibus tradita sponso & à paranymphis accipienda & ita secundum Legem & Evangelium publicis Nuptiis in conjugium liquidè sumenda.* Par stat sententia Concilio Arelatensi cap. 6. NULLUM SINE DOTE CONJUGIUM FIAT, JUXTA POSSIBILITATEM DOS FIAT. Innocentius Papa haud malè affirmat *DOTEM conferri, ut vir matrimonii onera facilius ferat.* Etsi igitur mos DOTANDI non apud omnes gentes fuerit in usu: nam Græci uxores emebant; Solonis & Lycurgi sancitum est, ut virgines indotatæ nuberent, unde sponsa nonnisi colum, fusum, tres vestes & parvo pretio emta vasa; cætera nihil marito apportabat; Ægyptios dotem aversatos refert Alex. ab Alex. l. 2. genial. dierum c. 5. Alibi non Sponsa, sed Sponsus ipse DOTEM attulit. De hodiernis Persarum Sponsalibus ita scribit cl. Adam Olearius: Wenn in Persien ein mannbar Jüngling zur Ehe schreiten wil / vnd hat beliebung zu eines mannes Tochter / so schicket er zweene von seinen nechsten freunden / welche mit bey seiner beschneidung gewesen / als Freywerber zu der Jungfer Vater / vnd lesset vmb selbige anwerben. Wird das anbringen wol auffgenommen / handeln die Eltern mit den Freywerbern / als gevollmächtigen / vmb die Mitgabe

gabe oder Brautschatz/ welchen nicht die Braut oder Braut freunde / sondern der Bräutigam oder dessen Freunde geben müssen. Solche Mitgabe bringt der Bräutigam auff zweyerley weise ein / entweder sendet er selbige kurtz vor der Hochzeit in der Brauthaus/ welche die Eltern behalten oder der Tochter mit geben mügen / sol so viel sein als eine Belohnung an die Eltern / daß sie jhr Kind so wol er zogen / oder er verschreibet der Braut eine gewisse Summa geldes / Seide oder Seiden wahren etc. lib. 5. Itineris Persici c. 32. in plerisq; tamen partibus Orbis Christiani DOS (der Frawen einbringen/ eingebrachtes / Mitgifft / Ehesteur / Brautschatz/ Ehegeld) exemplo veterum Christianorum & quarumvis moratiorum gentium laudabiliter conservatur, licet DOTIS DATIO nec sit juris Naturalis nec de substantia Nuptiarum.

Iuvat (ne quid silentio transeam) è Iure Canonico doctrinam priscis partim, partim sequioribus seculis de SPONSALIBUS inductam commemorare, ubi trifariam (1) *Re* per subarrhationem vel annuli immissionem; (2) *Verbis*, ut si alter alteri dicat: *Ego te accipiam in meum maritum, & ergo te in meam uxorem*, aut simili modo (3) *Literis*, cum absentes per epistolam paciscuntur vel per nuncium aut procuratorem Sponsalia fiunt. Alia porro sunt Sponsalia *de præsenti*, quæ per verba præsentis temporis concipiuntur v. g. *Accipio te in uxorem, duco te vel do tibi uxorem*. Sponsalia *de futuro*, quæ per verba futuri temporis concipiuntur v. g. *promitto, quod dabo tibi filiam, accipiam vel ducam te uxorem*, quibus desponsationes impuberum accensent, nisi puberes facti suo consensu easdem postea confirment. Sed rectè B. Gerhardus Tomo 7. Locorum Theol. de Conjugio & Cœlibatu: *Quia*, ait, *omninò statuenda est differentia inter sponsalia, quæ sunt promissio conjugij, spes matrimonij, Nuptiæ speratæ. & inter Nuptias ipsas. quæ sunt promissionis illius complementum; & quia alius est consensus Sponsali-*

Compendium Iuris Canon. de Sponsalib.

tius, alius Nuptialis, ideò simplicissimè statuitur, SPONSALIA PROPRIE DICTA ESSE TANTVM DE FVTVRO, ideoque in Sponsalibus propriè sic dictis id est, in Conjugij promissione semper subaudiendam esse conditionem, NISI QVID INTERVENERIT, quod promissionis impletionem id est matrimonij inchoati ratificationem & consummationem impediat, ex quo fundamento ad multas de sponsaliorum dissolutione quæstiones responderi potest. Hæc erudite B. Gerhardus. Verum nos ad sacros Canones redeamus.

Eodem Canonico Jure Sponsalia tripliciter contrahi docetur, alia *purè*, ut cum vir & fæmina se invicem conjuges futuros *simpliciter* pollicentur, & hi ad consummandum matrimonium censuris eccl. compelli possunt, nisi aliquid triste timeatur; alia *in diem*, cum quis intra certum tempus aliquam in uxorem se ducturum promittit v. g. intra biennium, quo peracto si pars una promissis non steterit, pars altera ad alterius Nuptias liberè transit. *Sub conditione* Sponsalia dicuntur, cum quis Nuptias se contracturum pollicetur, si quid fiat aut contingat ut: *Ego te in uxorem accipiam, si centum dederis, aut si Parentes consenserint*, & hi conditione non impleta ad Nuptias cogi nequeunt, nisi carnalis inter Sponsos commixtio subsequatur. Conditio autem nec sit turpis v. g. *si generationem prolis evitaveris, vel corpus quæstu adulterii prostitueris*; nec impossibilis v. g. *si cælum digito tetigris.* Minores septennio ad Sponsalia agenda inidonei declarantur, nisi copulæ nixus intercesserit. Si qua forte Sponsalia impuberes inierint, expectandum est tempus pubertatis: nisi enim pubes factus consenserit, Sponsalia censentur nulla, cum nulla sint valida Sponsalia, nisi ipsæ *partes contrahentes* vel tacitè vel expresse consenserint. Dissolvuntur Sponsalia vel ipso *jure* vel *facto hominis.* Iure v. g. ex matrimonii contractu cum alia, ex susceptione SS. ordinum (quod tamen à moribus primitivæ Ecclesiæ alienum)

num) ex religionis ingressu (quod nec ipsum citra omnem exceptionem admittimus) ex affinitate superveniente &c. *Facto hominis* v. g. mutuo contrahentium dissensu, si legitima dissensus causa subsit, ex fornicatione unius Sponsorum, aut si alter fiat leprosus vel paralyticus, vel nasum aut oculos amittat. Hæc de Sponsalibus doctrina est Iuris Canonici à Ioh. Paulo Lancellotto in compendium redacta lib. 2. Instit. Tit. 10. de SPONSALIBUS, cui adde Tit. 12. de Impedimentis Matrimonii; Tit. 13. de Triplici cognatione *Spirituali, Legali & Naturali*, ac Tit. 14. de SPONSALIBUS CLANDESTINIS.

Sed & ἐν ἐπιτομῇ ea, quæ veteres in Sponsalibus peregerunt, Nicolaus Papa A. 858. exhibet suo ad Bulgarorum consulta responso: *Nostrates*, inquit, *& mares & fœminæ quum nuptialia fœdera contrahunt, non auream vel argenteam aut ex quovis alio metallo compositam ligaturam in capitibus deferunt, sed primùm sponsalia agunt, quæ futurarum Nuptiarum sunt promissio. In Sponsalibus fœdera cum consensu non eorum tantum, qui contrahunt, sed & horum, in quorum potestate sunt sponsi, celebrant* (2) *Sponsus sponsam per arrham copulat eamq;, dato annulo in fidei symbolum, sibi despondet* (3) *dotem placitam aliaq; pacta dotalitia sponsus scripto consignat & in Sponsalibus coram invitatis ab utraque parte producit, quibus peractis aut mox aut commodo pòst tempore, ne ante tempus lege diffinitum, tale quid facere præsumant ambo ad nuptialia fœdera perducuntur.* Hæc Nicolaus Papa, è quibus ultima nos docent, veteres inter Sponsalia & Nuptias moram communiter interposuisse, nec illa his immediatè successisse.

Epitome Veterum Sponsalium.

Rationem differendi post Sponsalia Nuptias S. Augustinus reddit lib. IV. Confess. *Institutum est*, inquit, *ut pactæ sponsæ non statim tradantur, ne sponsus vilem æstimet dotam, quamdiu suspiravit dilatam.* De seipso idem SS. Patrum augustissimus refert, quòd cum ad Fidem catholicam relicto Mani-

Mora Sponsalibus & Nuptiis interposita.

chæismo animum appulisset, concubinam abrogaverit & instinctu Matris Monicæ honesto conjugio devotus, puellæ sit destinatus, cum qua ne statim Nuptias ageret, delecta est minorennis, ut biennium expectare cogeretur, antequam matrimonium consummaret. Sed ipsius Augustini verbis dilatas Nuptias referre placet: *Instabatur impigrè, ut ducerem uxorem. Iam petebam, jam promittebatur, maxime matre dante operam, ut me jam conjugatum baptismus salutaris ablueret, quo me indies gaudebat aptari. — Instabatur ergo & puella petebatur, cujus ætas ferme biennio minor, quàm nubilis erat. Et quia ea placebat expectabatur. Interea peccata mea multiplicabantur & avulsa à latere meo tanquam impedimentum conjugii, cum qua cubare solitus eram, cor ubi adhærebat concisum & vulneratum mihi erat & trahebat sanguinem. Et illa in Africam redierat vovens, se alium virum nesciturum relicto apud me naturali ex illa filio meo. At ego infelix nec fœminæ imitator, dilationis* (Nuptiarum) *impatiens, tanquam post biennium accepturus eam, quà petebam, quia non amator conjugii, sed libidinis servus eram, procuravi aliam, non utique conjugem, quò vel integer vel auctior animæ meæ morbus sustentaretur & perduceretur satellitio perdurantis consuetudinis in REGNVM VXORIVM. Nec sanabatur vulnus illud meum &c.* Hæc de seipso Augustinus l. VI. Confess. Cap. 13. & 15. unde patet S. Augustinum ante conversionem concubinarium, postea cum consensu matris Sponsum, at biennis moræ inter Sponsalia & Nuptias impatientem altera concubina, donec *Regno Vxorio* (ita Nuptias vocat) subderetur, libidinem compescuisse. Sed non sunt pudenda Patrum, præsertim tam ingenua confessione, tam seria pænitentia dudum contecta, quæque Deus ipse in maris abyssum projecit, nec se recordaturum promisit, revelanda. Nobis hîc annotasse sufficit Nuptias Sponsalibus olim non statim subjectas, sed moram aliquam, sæpe unius atque alterius anni interjectam,

quan-

quanquam Augustini illa cum minorenni Sponsalia non *de præsenti*, sed ut Canonistæ loqui amant (etsi ipsa hæc divisio non sit, ut dixi, omnino proba) *de futuro* fuisse videanter, qualia sunt impuberum Sponsalia omnia v. g. si dicas, ducam te uxorem, si biennium expectes.

Eleganter Clemens Alexandrinus, cujus ætas in seculi (III) primordia incidit, ad morem differendi post Sponsalia Nuptias accommodat, quæ Deus de captiva in uxorem ducenda sanxit Deut. 23. 11. ubi *triginta dies* domino captivam ducturo præscribuntur, quia hoc spatium temporis sufficere Moses existimavit ad deliberandum, an ducenda sit captiva necne? ne dominus præcipiti libidine in nuptias cum ea irrueret, quam postea re rectius expensa aversaretur. Interea lugere, comam radere, ungues resecare sponsa capta jubebatur, ut aspectûs turpitudine Domini libidinem reprimeret, *cum non sit effreni appetitu in Nuptias proruendum*, ut loquitur Clem. Alexandr. l. 2. & 3. Stromatum. Alexius Comnenus Imperator legem Christianis in Græcia tulit, ne Sponsalia & Nuptiæ res distinctæ simul eodem die & una hora peragerentur, sed tempore secernerentur. Verba Legis sunt: *Καὶ μὴ μετὰ ταὐτὸν συμπίπτειν ἐν ἡμέρᾳ ἢ καὶ ὥρᾳ μιᾷ πραγμάτων διῃρημένων ἐκ πλείονος ἀποτέλεσμα*, quæ constitutio cum sit decora & honesta, rectè per Christianum orbem est approbata. Occasionem legi huic datam ipse *νομοθέτης* haud obscurè innuit: refert enim suo adhuc tempore Sponsalia inter eos, qui annum septimum vix excesserant, esse contracta posteaque statim sponsos ad sponsas accessisse, haud secus ac si conjugium jam consummatum esset ac continua consuetudine & libertate congressus libidinis flammam in puellis viro immaturis accensata. Extat alia ejusdem Comneni constitutio ad suggestionem Curopalatæ & Magni Brungarii Viglæ edita, qua magna incommoda ad parentes devolvi censentur,

tur,

tur, si eodem tempore Sponsalia & Nuptias parare jubeantur: cùm enim parentes liberis prospicere eorumque bonum procurare teneantur, temporis angustia, si Sponsalia Nuptiis sint connexa, quo minus id facere possint, sæpe excluduntur, quod & experientia contestatur.

Laudabilis est & meritò imitanda hæc Veterum prudentia, qui Sponsalia Nuptiis præmittenda unanimes statuerunt. Hinc posterioribus quoque seculis in morem est perductum, ut inter Sponsalia & Nuptias aliquid temporis intercedat, saltem quo in templis de suggestu novi sponsi proclamentur idque trinundino ante Nuptias (vulgus *Bannum* vocat) ut, re adhuc integra interea dispici possit, num causa subsit, quæ Nuptias impediat, teste Durando lib. 4. dist. 27. q. 2. Sed post trinam denunciationem non amplius auditur, qui nuptias disturbare conatur, quod & infra dicetur. Rectè Poëta:

Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,
DIFFER, habent parvæ commoda magna moræ.

Sed nos audire Christianos malumus, è quibus nervosè Ludovicus Vives: *Veteres, qui Sponsalia ita instituerunt, ne primo statim congressu conjuges jungerentur, pudicitiæ maximè videntur consuluisse, ne mulier familiariter versaretur & rem haberet cum eo, quem nunquam fortaßis prius esset allocuta, quod sine magna pudicitiæ & pudoris jactura non fieret; in quibus haud exigua pars bonorum morum & publicæ quietis in Civitate per omnes gentes sita est.* Neque porrò moram Sponsalibus & Nuptiis interponendam de necessitate censemus, sed solùm de honestate. In ipsis SS. Literis exempla τῶν θεοφιλεστάτων legimus, qui peractis Sponsalibus Nuptias non distulerunt. In historia Tobiæ palam indicatur, Saram Tobiæ juniori *uno eodemque die* desponsatam, Nuptias simul actas & in thalamo

Nuptiæ Sponsalibus conjunctæ.

nuptia-

nuptiali collocatos ambos, quamvis tribus primis noctibus à maritali congressu, precum causa abstinuerint. In historia Rebeccæ proxeneta Isaaci noluit concedere decendium Sponsæ, sed proximo à Sponsalibus die Sponsam sponso suo adduxit, qui eam sine mora domum duxit. In historia Davidis Abigail post obitum Nabalis à Legatis petita, ut matrimonii fidem Davidi daret, accepto nuntio in Nuptias properasse fertur 1 Sam. 25, 40. Simson paucis pòst diebus, cum elienigenam sibi despondisset, Nuptias legitur solenni ritu consummasse. Iud. 14, 8. Similis consuetudo fuit græcorum, qui intra triduum Sponsalia & Nuptias consummarunt. Dies primus προαύλια nuptias anteibat, ἡ πρὸ τῶν γάμων ἡμέρα; Dies secundus ἀπαύλια lat. *decubatio*, Nuptiis sacer erat, quo in Soceri ædes sponsus transibat: in his enim Nuptiæ peractæ; Tertius ἐπαύλια, quo munera nuptialia à sponsæ parentibus & ab aliis ad novos sponsos deferebantur, de quo nuptiali triduo vid. Iul. Pollux l. 3. cap. 3. De Christianis affirmat Nicolaus Papa suo ad Bulgaros responso Nuptias aut *mox* post Sponsalia aut commodo post tempore factas. Itaque si vel brevissimo spatio consensus contrahentium (cæteris paribus) Nuptias antevertat, justa sunt Sponsalia. Ordinariè tamen conveniens pii Veteres consuerunt, ne nimium ad Nuptias festinaretur, nec nimis tardè, desponsatione jam facta à Nuptiis abstineretur.

Antequam à Sponsalibus Veterum discedamus, abusus olim Sponsalibus invectos meritò proscribimus. Suo jam ævo S. Chrysostomus *fraudulenta Sponsalia* reprehendit: *Stipulationes Nuptiarum*, inquit, *majori astu componunt, quàm eas, quæ in emtione ac venditione consistunt*. Homil. 47. in Matt. Exemplum Atelvoldus Comes seculo (x) præbuit, qui quum esset Edgaro, Anglorum Regi ab intimis consiliis, ablegatus, ut filiam Ortgari,

De abusib9 in veterum Sponsalia invectis.

H

gari, Ducis Devenensium Regi suo uxorem peteret, virginis forma captus contra fidem Regi datam causam suam, non Regis egit, virginemque sibi ipsi despondit, memor dicti: *Proximus egomet mihi*, sed immemor sui juramenti. Revera hoc erat, quod provetbia dicunt: *Canem famelicum farcimina petitum mittere.*

Sponsa ab aliis stuprari solita, in honorem Sponsi.

Sed & rectè fuit proscriptus mos barbarus nobilium in Scotia, licet in undecimum usque seculum productus. Solebant nobiles Scotorum nubiles puellas jamjam sponsas, aut uxores futuras stuprare, rusticis forte persuasis sponsas eo modo nobilitari, ac Nuptias suas condecorari, teste Polydoro Virgilio lib. X. rerum Anglicarum. Videtur impuritas ista ex paganismo oriunda. De Balearibus autor est Diodorus Siculus, *quod absurdum circa Nuptias institutum habeant. In convivio enim nuptiali necessariorum & amicorum quisque ætate primus, secundus & cæteri deinceps cum nova nupta singulatim rem habent, donec ad Sponsum hic honor ultimum deferatur.* Lydis itidem mos erat, *ut mulieres antequam cum maritis concuberent, corpus prostituerent*, teste Iustino historico lib. 18. De incolis regionis Tataricæ Thebet haud dissimilia refert M. Paulus Venetus: *Cum quis uxorem ibi ducere istituit, necesse est, ut prius à multis viris sit cognita: ajunt enim, mulierem non esse conjugio aptam, nisi prius fuerit stuprata. Vnde quando viatores & advenæ aliunde venientes hanc regionem transeunt & quietis gratia tabernacula sua ponunt, mulieres ejus loci habentes filias nubiles, ducunt illas ad peregrinos: aliquando viginti, aliquando triginta aut plures juxta numerum advenarum, rogantes eos, ut quilibet eorum unam de virginibus sibi associet ejusq; concubitu fruatur, quamdiu illic manserint. Illi igitur matronarum precibus victi deligunt sibi ex puellis, quas volunt & matrimonio aptiores reddunt. Et quum recedere volunt, nullam secum abducere permittuntur, sed parentibus fideliter restituunt. Exigit etiam puella ab eo,*

qui

qui eam defloravit, jocale aliquod sive munusculum, quod ostendere possit, ceu argumentum suæ deflorationis. Et quæ à plurimis viris fuit amata atq; corrupta & multa habuerit talia jocalia, quæ ostendat procis, hæc nobilior habetur faciliusque & honorificentius maritari potest. Et quando honorificè vult incedere, suspendit ad collum amatorum omnium insignia; quantoq; pluribus fuit grata, tanto majori honore digna judicatur. His paria de Indis Peguanis Linschotanus recenset lib. 1. cap. 19. nempe *hospitibus advenis puellas nubiles ad concubitum offerri, quin in nuptiis peregrinum mercede conduci, qui prima nocte cum sponsa cubet*, prout hæc B. Calixtus in Epitome Theol. Moralis pag. mihi 56 allegat, ut ostendat, quam vani gentiles in cogitationibus suis sint facti, quàmque varijs, imò obscænis modis obtenebratum sit insipiens cor eorum, & quam justè Deus notorios hos Iuris Naturæ transgressores in reprobos sensus projecerit. Iocalia

Verùm *inter Christianos*, quales jam XI Seculo fuere Scoti, similia flagitia, rectæ rationi è diametro adversa, esse reperta sanè pudendum est. Laudem proinde omnino meretur Malcolmus Rex Scotiæ, qui instinctu castissimæ Conjugis Margaretæ barbarum istum & fædum morem sustulit, lege lata, ut pro redimendo stupro nuptura virgo aureo numo pudicitiam à Domino loci redimeret, teste eodem Polydoro d. l. cujus in rem præsentem verba hæc sunt: *Accipe Malcolmi factum temperantiæ plenum. Fuit jam inde à principio apud Scotos institutum seu lex, ut liceret unicuique plures pro opibus ducere uxores & (2) nobilibus plebejorum uxores habere communes ac (3) domino loci virginem nuptam vitiare, antequam vir cum ea cubuisset. Priora duo Religio Christiana statim sustulit; istud posterius longo post tempore Malcolmus sanctissimæ Margaritæ Uxoris hortatu uti institutum post homines natos turpissimum penitus extirpavit, dum sanxit, ut virgo nuptura numū aureum pudicitiæ redimendæ causa domino loci penderet, id quod*

 etiam

etiam nunc servatur. Sed nos Sponsalibus relictis ad ipsas Veterum NUPTIAS progrediamur.

Veterum à Nuptiali congressu ad tempus abstinentia.

Tempus Nuptiarum in V. E. quod attinet, antiqui qua erant in Deum pietate solennia quædam tempora à Nuptiis agendis exemerunt. Cùm enim Apostolus conjuges *statis* ac *solennibus jejuniorum* vel precum diebus ab actu conjugali ex mutuo consensu abstinere jubeat, ut animi eorum ad majorem devotionem præparentur & ad ferventius orandum excitentur, 1 Cor. 7, 5 multo convenientius Nuptiæ, quibus carnalis commixtio, imò operosa sæpe convivia aliæque sacrorum remoræ plerumque cohærent, per eadem tempora prohibentur. Sicut Israëlitas ante solennem Legis promulgationem *per biduum ab uxoribus abstinere* oportuit, Mose ad populum dicente: *Estote parati in diem tertium, ne accedito quisquam ad uxorem!* Exod. 19, 15. Sicut ad publicam pænitentiam agendam, Ioëlis 2, 16. Sponsus de cubili suo & sponsa de thalamo suo egredi jubetur: ita in N. T. Apostolus abstinentiam à re uxoria *ad tempus* indicit, ut vacare conjuges jejunio & precibus possint, intellige in majoribus anni festis & publica aliqua vel etiam domestica insigniori calamitate. Similiter S. Ambrosius ad 1 Cor. 7. *Et dies festi & dies Processionis ab usu conjugij his temporibus cessari debere monstrant.* S. Augustinus vel quisquis sit Autor Serm. 2. de Tempore: *Quotiescunque aut dies Natalis Domini aut reliquæ festivitates adveniunt, sicut frequenter admonui, ante plures dies non solum ab infelici Concubinarum consortio, sed etiam à PROPRIIS VXORIBVS abstinete.* S. Ambrosius Serm. de Adv. Domini. *Nullus omninò uxori suæ temporibus jejuniorum conjungatur.* Autor Quæstionum V. & N. T. quem falso dicunt S. Augustinum: *Christiano*, inquit, *cum uxore sua aliquando convenire licet, aliquando non licet: propter processionis enim dies & jejuniorum aliquando non licet convenire, quia à licitis etiã abstinendum*

dum

dum est ad tempus, ut facilius impetrari possit, quod postulatur. In hunc usque diem nostræ Ecclesiæ Nuptias non agunt diebus *jejuniorum ac Festis*, imò multis in locis à diebus quoque dominicis Nuptiarum solennia haud malè sunt exclusa.

Neque verò festis tantum aut dominicis, sed & diebus magnorum festorum prævijs, licet profestis, Nuptiæ ex veteri instituto sunt interdictæ. Concilium Laodicenum A.C. 368, juxta alios 364. habitum can. 52. *Non oportet in Quadragesima aut Nuptias vel qualibet Natalitia celebrare*, quod & Decreto Gratiani Causa 33. qu. 4. insertum. Tanti verò hanc Synodum veteres æstimarunt, ut canones ejus in Codicem Canonum universæ Ecclesiæ receperint. Paria sanxit Synodus Bracarensis, can. 48. *Nec Natalitia nec Nuptias in Quadragesima celebrare licet.* Ex Concilio Ilerdensi sub Rege Theodorico in Hispania coacto Gratianus hunc producit canonem: *Non oportet à Septuagesima usque in Octavam Paschæ & tribus hebdomadibus an festivitatem Iohannis Baptistæ & ab Adventu Domini usque post Epiphaniam Nuptias celebrare, quod si factum fuerit, separentur* (pæna certè gravior delicto!) Concilium Salegunstadiense in vicinia nostra A. 1023 celebratum (de quo Alb. Cranzius in Metrop. l. 1. cap. 3. *Locus, quem olim Salingstede, nunc vocant Ostervvieg*) in rem præsentem hæc decernit cap. 3. *De legitimis conjugiis visum est, quòd nullus Christianus uxorem ducere debeat ab Adventu Domini usq; ad Octavam Epiphaniæ & à Septuagesima usq; in Octavam Paschæ, nec in diebus quatuordecim ante festum Iohannis Baptistæ, neque in jejuniorum diebus sive in omnium solemnium dierum præcedentibus noctibus.* Clemens III Papa seculo XII exeunte edictum condidit, *nec consecrationis gratia novi conjuges templum inviserent à Septuagesima usq; ad Pascha, à Dominica Rogationum usq; ad Octavam Pentecostes, ab Adventu Domini usq; ad Octavam Epiphaniæ.*

De Nuptiis Veterum in Quadrag. & Adventu alias prohibitis.

Lapſu ſeculorum dimidius ferè annus, ſi ſingulas prohibitiones computes, à Nuptiis agendis fuit exemtus, ut rectè Patres Tridentini in Concilio (cujus temeraria quidem ſunt anathemata, ſed canones diſciplinam eccl. concernentes non omnes æquè reprobi) illas ſuperiorum temporum prohibitiones temperaverint, & ad duo ſolùm tempora revocaverint: *Antiquas* (ajunt) *ſolennium Nuptiarum prohibitiones ſolummodo ab Adventu Domini uſque ad diem Epiphaniæ & à feria quarta cinerum uſque in Octavam Paſchæ diligenter obſervari* præcipimus, ſed *aliis temporibus Nuptias liberè celebrari permittimus.* Reſtrictionis cauſas duas Bellarm. lib. de Matrim. cap. 31 reddit, ubi ex SS. Antiqq. ita diſſerit: *Alterum impedimentum, quod TEMPVS FERIATVM dicitur* (noto diſticho:

Eccleſiæ vetitum nec non tempus feriatum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri)

nihil aliud ſignificat, niſi interdictam eſſe Nuptiarum ſolennitatem certis anni temporibus. Et quidem ANTIQVO IVRE prohibebantur ſolennes Nuptiæ ab initio Adventus uſque ad Epiphaniam; item à Septuageſima uſque ad Octavam Paſchæ, denique à diebus Rogationum uſque ad Octavam Pentecoſtes. De hac re extant Decreta Conciliorum antiquorum & Pontificum apud Gratianum 33. qu. 4. Ratio hujus prohibitionis eſt, quia toto anno feſta omnium celeberrima ſunt hæc tria, Natale Domini, Paſcha & Pentecoſte, atque in his tenebantur omnes ad S. Euchariſtiam accedere, ex Concilio Agathenſi cap. 18. Solennitas autem Nuptiarum res eſt magnæ diſtractionis, cùm convivia aliique apparatus fieri ſoleant. Vt igitur Chriſtiani homines ad ea feſta ſpiritualia ſine impedimento & ad Sacramentum ſuſcipiendum paratiores invenirentur, optimo conſilio ab Eccleſia ſolennes Nuptiæ tribus illis temporibus prohibitæ fuerunt, quam tamen prohibitionem nuper Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. c. 10 temperavit & ad duo ſolum tempora redegit, nec, niſi ab Adventu

Domini

Domini usque ad Epiphaniam & à die Cinerum usque ad Octavam Pascha solennes Nuptias interdixit. — Etiamsi verò hodie non teneantur Christiani omnes Lege Ecclesiastica ad communionem accedere, nisi in Pascha, tamen adhuc viget in tota Ecclesia mos communicandi in Natali Domini, adeo ut rari sinit, qui id non faciant. Rarior est Communio in F. Pentecostes & ideo Concilium Trident. Nuptias solennes tum fieri permisit. Adde, quod non sit sola Communio causa illius prohibitionis, sed celebritas etiam principalium festorũ ad qua Ecclesia per jejunia & preces filios suos praparare satagit. Non autem benè conveniunt pompæ Nuptiales, convivia, saltationes, & alia signa lætitiæ cum præparatione illa præsertim Quadragesimæ & Adventus. Nec in ullo decreto eorum, quæ apud Gratianum habentur, expresse ponitur causa communionis, sed solùm festorũ celebratio. Hæc Bellarminus, qui ut dixi, rationes duas reddit, ob quas prisci statis temporibus Nuptias prohibuerunt. Harum posterior nobis potior videtur, etsi fortassis neutra sit adæquata.

In Ecclesiis nostris (quarum Agenda Nuptias in Quadragesima & per Adventum similiter prohibent) cum Calvino ejusque asseclis non facimus, qui hanc εὐταξίαν Veteris Ecclesiæ prorsus è medio tollunt. Calvinum lib. 4. Instit. cap. 19 §. ult. *Leges sanxerunt* (Pontifices) *quibus tyrannidem suam firmarunt, sed partim in Deum manifestò impias, partim in homines iniquissimas, quales sunt — Ne à Septuagesima usq; ad Octavam Pascha, tribus hebdomadibus ante Natalem Iohannis ab Adventu ad Epiphaniam Nuptiæ celebrentur & similes innumeræ.* Sohnius Tomo 1 Operum Dispp. de Matrimonio th. 78. *Nuptiæ QVOVIS ANNI TEMPORE celebrari possunt*, & th. 99. *Errant Pontifices, qui Nuptias in Quadragesima prohibent.* Innocentius Gentilletus in Apol. pro Christanis Gallis cap. 9. *Apostolus prohibitionem matrimonÿ doctrinam dæmoniorum vocat, unde facilè perspicere est, qui verius & melius fundamento h. e. verbo Dei innitantur, Evangelici an Romano catholici — qui Nuptias à laicis*

Calviniani nullo tempore à Nuptiis abstinent.

nem-

tempore Quadragesimæ & Adventuum & Quatuor temporum celebrari non patiuntur. Ita hi de Calvini Schola. Sed hæc tanti non sunt, ut propterea à moribus Vet. Ecclesiæ recedeamus. Sanè à tempore Concilii Laodiceni, adeoque per tredecim ferè secula, imò ut nullus dubito, ab initio Ecclesiæ, cum nondum Pontifex tyrannidem affectaret, per Quadragesimam Nuptias in reverentiam Passionis Dominicæ quod tempus illud pænitentiæ ac publici sit mæroris, prohibitas invenio. Iam si Magistratus Christianus de Adventu similem Legem ferat, ut fideles piè justè & TEMPERANTER h. e. sobriè & castè (quod in conviviis Nuptialibus sæpe non fit) gloriosum Domini Natalem expectent, quæ quæso hîc *iniquitas?* quæ in Deum *injuria?* an hæc *dæmoniorum doctrina?* annon ἐν τοῖς ἀδιαφόροις observemus τὸ πρέπον? Ergò & Apostolum accusemus, qui *ad tempus* à Nuptiali congressu, re per se licita, conjuges ipse prohibuit, ut orationi vacare possint? Apage ergo Calvini novitates! Sed de Nuptiarum Tempore plus satis!

Publicæ Sponsaliû Denunciationes. Abkündigung. Propius Veterum Christianorum Nuptiis accessuri, legimus jam à quinque seculis & quod excurrit, novos sponsos è suggestu denunciari solitos, de quo Concilium Lateran. II A. C. 1139. præsentibus mille episcopis Can. 51. ita sancit: Specicalem quorundam locorum consuetudinem generaliter prorogando statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros id publicè proponatur, competenti termino præfinito, ut intra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat & ipsi Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum interea apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus expresse interdicatur, donec quid fieri debeat, super eo manifestis constiterit documentis. Hæc in Concilio, quod Bellar-

Bellarmino est Oecumenicum X. Antiquioribus seculis mos quidem fuit *trinundini*, quo nomina vocandorum ad Ecclesiasticum ministerium per tres sacros conventus publicè promulgabantur, populusque admonebatur, ut si quid contra ordinandum nossent, id interea singuli proferrent, teste Socrate lib. 5. Hist. Eccles. sed in re nuptiali simile trinundinum primis seculis fuisse non memini me *expreße* uspiam legisse, laudabilis tamen est hæc novos Sponsos denunciandi consuetudo (1) ut dispiciatur, an aliquod matrimonij ex propinquitate, vel ligamine aliorum sponsaliorum aliudve canonicum impedimentum novis Sponsis intercedat (2) ut publicis Ecclesiæ precibus novelli conjuges Deo commendentur.

In primitiva Ecclesia novi Sponsi Sacerdotibus præsentari & de fide ac moribus examinari solebant, antequam à Sacerdote benedicerentur, uti patet ex Concilio Carthagin. 4. can. 13. imò, inconsultis Sacerdotibus olim Sponsalia nulla peracta, quod supra ostendimus, adeoque Nuptiæ veterum concilio & consilio Sacerdotum omnes dirigebantur. Hinc Tertulliano *Nuptiarum consiliarij* dicuntur l. 2. ad Vx. cap. 2. Sacerdotes enim res matrimonij moderabantur, pro faustis vel infaustis auspicabantur, ne quis sc. inauspicatò Nuptijs animum implicaret, iidem porrò ad totam fraternitatem meditatas Nuptias deferebant, teste iterum Tertulliano, dum *Nuptias apud Ecclesiam professas* i. e. palam publicatas scribit lib. de Pudic. c. 4. Verba Tertulliani sunt: *Penes nos occultæ quoque conjunctiones h. e. non prius apud Ecclesiam professæ juxta moechiam & fornicationem judicari periclitantur.* Nuptiarum ergo professio erat Nuptiarum publicatio, vel promulgatio, in cujus locum (ut equidem puto) publica illa in Ecclesia Nuptiarum denunciatio, qualis hodie obtinet, successit.

Solennis Nuptiarũ Professio.

Nuptias in V. E. acturos Episcopum ac clerum consulere deque horum consensu Nuptias apparere oportuit & hoc erat Nuptias profiteri in Ecclesia h. e. publicè in S. Synaxi fraternitati denunciare prius, quam copularentur, quo neglecto *Nuptiæ claudestinæ* censebantur, licet in publico essent cætera consummatæ. Ideo autem in Ecclesia h. e. in conventu fratrum Nuptiæ fuerunt profitendæ, ut si quid forte Sacerdos de Nuptiis consultus minus diligenter examinasset, aut indulgentius consensisset, id in publica Synaxi propositum emendaretur vel si fas erat, reprimeretur. Posterior ratio professionis Nuptiarum erat, ut si quis obicem vel matrimonii impedimentum nosset, fidenter in publico detegeret. *Hinc etiamnum* (scribit Ambianates commentator Tertull. in lib. de Pudic. c. 4. observ. 3.) *solennes nuptiarum proclamationes sunt; ut si quod sit obstaculum, ob quod dirimi inchoatum matrimonium possit, maturè in medium consulatur.*

Obviatio Sponsæ. Si qua Sponsa peregrè adventaret, splendidè excipi eique à Sponso cum publico applausu obviam procedi solebat, quod cumprimis in Magnatum Nuptiis frequens fuisse omnium ferè temporum historiæ contestantur. Autor est Paulus Diaconus lib. 22 rerum Rom. *Proceres Constantinopolitanos SOLENNI POMPA occurrisse Irenæ Athenis venienti, ut Constantino Principi Constantini Iconomachi filio matrimonio copularetur.* Sed & hodie notarium est, quanta sit pompa, cum Regi aut Principi nova nupta adducitur, quantus sæpe luxus in excipienda Augusta vel Serenissima, imò inter ipsos hodie plebeios mediocris fortunæ homines cùm aliqua saltem solennitate atque ornatu novæ Sponsæ obviant. En tibi illustre exemplum! A. C. 1545 (scribit Büntingius in Chronico Brunsv.) hat Hertzog Erich der Jünger von Braunschweig im siebenzehenden Jahr seines Alters Hoch-

zeit

zeit gehalten mit Fräwlein Sidonia; Hertzog Heinrichs von Sachsen Tochter / da dann die Braut auff einem vergüldeten Wagen mit Herrlichen Pomp und Gepräng durch ihren Herrn Bruder/ Hertzog Augustum ins Land Braunschweig ist geführet. Apud ethnicos æquè solennem introductionem Sponsæ fuisse de Dionysio Syracusano refert Diodorus lib. 14. Ille Doricam Virginem, filiam Xeneti, primarii ac potentissimi civium sibi desponderat, paucis ante Nuptias diebus Locros, misit quinqueremem tum primùm ædificatum, *argenteis aureisque ornamentis* circumpositam, in qua virginem transportari Syracusas fecit. Duxit præterea Aristomacham, ad quam sibi deferendam, *quadrigam equis albis* junctam misit; ut proinde spectabilis deductio Sponsæ (die Heimholung der Braut) christianis cum ethnicis fuerit communis, imo ab his sine dubio, quod luxum attinet, in Ecclesiam traducta.

Sed & mos *exornandi* Sponsam in Ecclesia olim obtinuit, idque ex V. T. adeoque dudum ante Natum Christum in Dei populo receptum ex historica relatione Gen. 24, 53 colligitur, ubi Eleazarus Isaaci proxeneta donat Rebeccæ vestes, quibus Sponso suo se ornet. Idem Prophetæ verba docent: *Indumento justitiæ circumdedit me Dominus, quasi Sponsum corona redimitum, & quasi sponsam monilibus ornatam*, Es. 61, 10, ad quæ Vatablus: *Sponsa die Nuptiarum monilibus se ornabat.* In N. T. Iohannes Apocalypticus ineffabilem supernæ civitatis ac beatorum in ea gloriam ostensurus, se vidisse refert sanctam urbem, novam Hierosolymam descendentem è cælo, paratam ὡς νύμφην κεκοσμημένην τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς *sicut Sponsam viro suo adornatam*, unde constat (1) veteres adeò splendidè adeoque eleganter Sponsas Virgines condecorasse,

De Nuptiis Veterum ornamentis.

corasse, ut ipse Sp. S. hunc ornatum cum cælesti illo, cujus decorem Sol & luna mirantur, comparandum duxerit. Inter summa ergo ornamenta ornatus Sponsæ habebatur (2) Sponsam in mariti gratiam tam exquisitè olim ornatam, ut eo ipso novum maritum percelleret suique aspectu amorem erga se intensiorem provocaret: nam, ut rectè ait Poëta, *oculi sunt in amore duces.*

Quis, & quantus Sponsæ ornatus fuerit, ex S. Codice palam est, in primis ex parabolica Synopsi Conjugii Christi & Ecclesiæ Psal. 45, 10. *Adstat Sponsa à dextris tuis in auro Ophir, v. 15. de capsulis aureis est vestitus ejus, in acupictis adducitur ad Regem.* Cant. 4, 1. *Quam pulchra es, amica mea! rapuisti cor meum uno oculorum tuorum & uno torque colli tui.* Ezech. 16, 10. *Vestivi te discoloribus, & calceavi te hyacintho & cinxi te bysso & operui te serico & ornavi te ornamento & dedi armillas in manibus tuis & torquem circa collum tuum & dedi tibi monile in facie tua, circulos auribus tuis & coronam decoris in capite tuo & ornata es auro & argento & vestita es bysso & serico & acupictis vestibus.* Cui bono hic ornatus? Eph. 5. 28. *ut exhiberet sibi Ecclesiam ἔνδοξον illustrem, non habentem maculas.* Et Apoc. 19, 7. *Venerunt Nuptiæ agni & uxor ejus se præparavit, & datum est illi, ut cooperiat se byssino candido & splendenti.* Et iterum Apoc. 23, 2 & 11 ad stuporem usque civitas superna instar *Sponsæ* (ita enim Angelus: *Veni & ostendam tibi Sponsam uxorem agni*) describitur, ornata *auro puro & argento signato, jaspide, sapphiro, smaragdo, chalcedonio sardonyche. sardio, chrysolitho, beryllo, topario, chrysopraso, hyacintho, amethysto, margaritis aliisque gemmis ac pretiosis lapidibus*, quæ licet *anagogicum* habeant sensum, docent tamen literali suo sensu, splendidè, jam Apostolorum ævo Sponsas imminentibus Nuptiis fuisse ornatas.

Fortasse expedit ipsa veterum Dd. & SS. Patrum testimonia proferre. S. Ambrosius serm. 9. Agnetem de Christo,

sto, Sponso suo inducit ita loquentem: *Annulo fidei suæ subarrhavit me, ornavit me inæstimabili dextrocherio, dextram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas & circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Induit me cyclade auro texta & monilibus me ornavit.* Itaque seculo Ambrosiano hic Sponsæ erat ornatus (1) annulus pronubus, de quo supra (2) *dextrocherium* h. e. muliebre manus dextræ ornamentum ex auro, instar annuli fabrefactum, gemmis pretiosissimis insigne, de quo vid. Cælius Rhod. lib 8. cap. 13. (3) margaritæ, vel uniones (4) cyclas auro intexto splendida, ein gülden gestickter Brautrock. Cyclas, vestis erat fæminea rotunda ἀπὸ τοῦ κύκλου & κυκλόω dicta, qualem hodie Romanæ, Florentinæ & Senenses matronæ in Italia gestant (5) monilia vel aureæ è collo suspensæ catenulæ, gr. ὁρμίσκοι, aliaque κειμήλια & clenodia. Nicephorus lib. 18. Hist. Eccl. cap. 8. Mauritii Imper. & Constantinæ Nuptias describens inter cætera ait: *Apparatui Nuptiarum affuerunt vera in Deum Pietas & Imperatoria Majestas satellitio Mauritium ejusque conjugem decentissimè stipantes & dona eis quàm honorificentissime offerentes: illa namque canitie veneranda decentibusque rugis patris & matris Nuptias sanctificantium fratrumque venustorum conjugalem apparatum exornantium vicem præstitit. Hæc ex auro contextam vestem purpura & Indicis margaritis distinctam nec non coronas auro multo & lapillis pellucidis resplendentes præbuit.* Sabellicus lib. 1. Enneadis 9. memorat, morem fuisse apud Venetos, ut Virgines, quæ nuper matrimonio essent elocatæ, exquisitissimo cultu ornatuque pretiosissimo Apostoli ædem stato die inviserent, & universo civium cætui spectaculo essent. Unde patet, Majorum quoque seculis circa Nuptialem ornatum veteres valdè liberales, ne dicam prodigos interdum fuisse.

Porro nova nupta *velo* vel *velamine*, quod pudoris signum

De Nuptiali velo, & velamine Sponsæ.

erat, obtegebatur & contecta viro in matrimonium tradi solebat, à quo *nubendi* ritu *nupta*, *nubere*, *nuptiæ* ipsæ dicuntur: *Sed & nos admonemus*, scribit Tertull. lib. de Velandis Virginibus (quem ferè totum huc referre possis) cap. 17, *alterius* h. e. conjugalis *pudicitiæ mulieres*, *QVAE IN NVPTIAS INCIDISTIS*, *ne à disciplina velaminis exolescatis, ne quidem in momento horæ, aut quia reiicere eam non potestis, alio modo destruatis nec tectæ nec nudæ incedentes. Mitris enim & lanis quædam non velant caput, sed conligant, à fronte quidem protectæ, quà proprie autem caput est, nudæ. Aliæ modicè linteolis, credo, ne caput promant nec ad aures usque demissis cerebrotenus operiuntur. Misereor, si tam infirmo sint auditu, ut per tegmen audire non possint. Sciant, quia totum caput mulier est. Limites & fines ejus eousque porriguntur, unde incipit vestis. Quantum resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur: ipsa enim sunt, quas subjectas esse oportet. — Judicabunt vos Arabiæ fæminæ ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoq; ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere, quas propterea infelicissimas ait Romana quædam Regina* (Messalina, Claudii Imperatoris uxor, omnibus succuba) *quod adamare magis, quam adamari possint. — Nobis Dominus etiam revelationibus, velaminis spatia metatus est: nam cuidam sorori nostræ angelus in somnis cervices quasi applauderet verberans: Elegantes, inquit, cervices & meritò nudæ. Bonum est, usque ad lumbos à capite veleris, ne tibi ista cervix, cum libertas non prosit. Tu quod uni dixeris, omnibus dixeris &c.* Prolixus est Tertull. d. l. in velamine nuptis commendando, & in reprehendendis vitiis circa ritum illum inductis. Imò tam solenne fuit nuptas obvelari, ut ævo Tertulliani virgines ideo velari vel obnubi noluerint, ne nuptæ censerentur, contra quas eodem libello Tertull. disputat. Inter alia sic ait: *Indue habitum mulieris, ut statum virginis serves. Mentire aliquid ex his quæ intus sunt, ut soli*

Deo

Deo exhibeas veritatem, quanquam non mentiris Te, ô Virgo, NUPTAM. Nupsisti enim Christo, illi sponsasti maturitatem tuam ince-de secundum Sponsi tui voluntatem. Christus est, qui & SPONSAS alienas & maritatas velari jubet, utique multo magis suas.

Habet muliebre hoc velamen, quo inprimis novæ nuptæ olim contegebantur, in ipso N. T. fautorem dicam, an Autorem Apostolum, qui 1 Cor. xi in suo Sacrorum Rituali inter alia statuit: *Omnis mulier orans aut prophetans ἀνακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ capite non velato deturpat copat suum: unum enim est ac si decalvetur — Velet ergo caput suum — Mulier est propter virum. Ideo debet habere potestatem supra caput suum, propter angelos. Vos ipsi judicate. An decet mulierem non velatam orare Deum?* cumque Virgines Carthaginienses nupturirent & tempore Tertulliani virgineum tegmen in SS. Synaxi deponerent, aliæ *nimis subtile* velamen gererent, ut sub eo cutem *subcandicantem* pervidere spectatores formarum possent, ut è Christianis maritum tempestivè acquirerent, Tertullianus corruptum hunc morem graviter coarguit, ac docet, Cæmeteria vel ut hodie loquimur, Templa *domos precum*, non *nundinationis virginum* esse. Capita autem virginum retecta appositè vocat *Nundinatitia*, quòd nuda fronte se quasi venum exponant, ut procos alliciant. Pari ferè sensu lib. de Pallio cap. 4. aperta virginum capita vocat *propudia occisæ in publico castitatis*. Sed è diverticulo in viam!

In causa nuptiali Sponsas velatas idem eodem libello cap. 11. his adfirmat verbis: *Desponsatæ habent exemplum Rebeccæ, quæ cum ad Sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognovit esse — confessa quod senserat i. e. Spiritu se nuptam, negavit virginem* VELATA *ibidem. O mulierem de Christi disciplina! — Si congressio viri mulierem facit, Virgines non tegantur, nisi post ipsam Nuptiarum congressionem. Atqui etiam apud ethnicos VELATAE AD VIRUM DUCUNTUR* (indignum

ergo

ergo censet, si à Christianis hoc pudotis tegmen in Nuptiis seponatur) *Si autem AD DESPONSATIONEM VELANTUS — quanto magis tempus eas velabit, sine quo sponsari non possunt, & quo urgente sine Sponsalibus virgines desinunt esse?* Totus in eo est, Tertullianus, ut probet, virgines non in Sponsalibus tantum & Nuptiis, sed & à primis suæ pubertatis annis statim velandas esse, unde Nuptiale velamen in primitiva Ecclesia usitatum abundè jam constat.

Tertulliano, è quarto seculo S. Ambrosium Presbytero illi hunc Episcopum addamus. Is lib. 1. de Abrahamo sub finem: *Nec illud*, inquit, *otiosum est, quod cum veniret Rebecca, vidit Isaac deambulantem, & cum interrogasset, quis esset? cognito, quod ipse esset, cui duceretur uxor, descendit & caput suum obnubere cæpit; docens verecundiam Nuptiis præire debere. Inde enim & NUPTIAE dictæ, quod pudoris gratia PUELLAE SE OBNUBERENT. Discite Virgines, quemadmodum servetur verecundia, ne intecto capite prodeatis ante extraneos, cùm Rebecca jam desponsata designatum maritum aperto capite non putaret videndum* Et in Exhort. ad Virg. *Nubes sunt & graves nubes, quæ nupserint. Namque à nubibus verbum nubendi tractum arbitror. Denique* OPERIUNTUR, UT NUBES, CUM ACCEPERINT NUPTURÆ VELAMINA. *Et vere graves nubes, quæ sustinent sarcinam matrimonii.*

Ex his S. Ambrosii dictis tria colligo (1) veteres exemplo desponsatæ *Rebeccæ* Gen. 24, 65. (quo etiam Tertullianum usum paulo ante ostendimus) morem velandi virgines, Sponsas, novasque nuptas, fœminis in universum commendasse (2) Velamen hoc, sive *Sponsale* sive *Nuptiale* dixeris, signum honesti *pudoris & verecundiæ* fuisse, quæ virtus muliebrem sexum inprimis ornat, dicente Apostolo, ita *olim & sanctas mulieres, in Deo sperantes sese exornasse*, producto exemplo *Saræ* 1 Pet. 3, 5 perinde ut & hodie qui verecundantur,

dantur, faciem oculosque manu regunt (3) morem velandi Sponsas & novellas conjuges apud veteres adeo fuisse vulgatum, ut NUPTIAS ipsas à more nubendi h. e. tegendi, velandi, non aliter ac si primarius hic sit actus, denominarint, ut & Sponsas accepto velamine *nuptas* i. e. contectas vocarint. Quod verò S. Ambrosius ipsam nubendi vocem à nubibus derivat, ea etymologia nec vera est nec genuina, sed *allusiva*, quales originationes in declarandis rebus sæpe sunt accommodæ, quin potius à *nubendo nubes* dictas *οἱ ετυμολόγοι* arbitrantur: sicut enim nubes cælum obnubunt ac tegunt: sic velamen nuptiale virginei oris ac vultus venustatem tegit, ut pudicitia sit salva nec libidini occasio, revelata facie præbeatur.

Velum: nupt pudoris & subjectionis signum.

E septimo seculo de eodem nuptiarum insigni Isidorus Hispalensis audiendus, qui lib. 2. de div. offic. cap. 19. quod *de Nuptiis veterum Christianorum* agit, in rem præsentem: *Fœminæ*: inquit, *dum maritantur, velantur, ut noverint per hoc se viris suis esse subjectas & humiles. Unde & ipsum velamen vulgò MAVORTEM vocant i. e. Martem, quia signum maritalis potestatis & dignitatis est in eo. Caput enim mulieris vir est, licet proinde velentur, dum nubunt, ut verecundiam mulieris agnoscant, quia jam sequitur inde, quod pudeat. Unde Rebecca, cum ad sponsum duceretur, simul ut eum ipsa conspexit, salutationem vel oscula non sustinuit, sed statim sentiens, quid esset futura, pallio caput velavit. Hinc & nuptæ dictæ, eo quod vultus suos velent. Obnubere enim operire dicitur. Unde & nubes dictæ, eo quod æthera obtegant.* Aliam h. l. rationem velaminis Isidorus reddit: neque enim pudoris tantùm & verecundiæ, sed & subjectionis erga maritos, humilitatis, reverentiæ signum illud esse affirmat, ideoque non solius Rebeccæ è V. T. sed & Pauli Apostoli è N. T. 1. Cor. 11. 7. auctoritatem allegat.

A Nuptiali consuetudine velandi sponsas velamen

K San-

De SS. Virginum velamino

Sanctimonialium traductum puto, quæ quia Virginitatem suam Deo devoverant, peculiari quadam ratione SPONSÆ CHRISTI æstimabantur & dum initiabantur, NUPTIAS SPIRITUALES agere ferebantur, ac propterea instar *Nuptarum* obvelabantur, qui mos (vernacula lingua die Einkleidung) in Papatu est hujusmodi: Monialis futura Episcopo adconsecrandum in Templo ad altare veluti *Sponsa* sistitur ea veste, quæ ordini congruit, & quali quoad vixerit, est usura. Adducitur à paranymphis solenni conventu, cum candelis accensis, perinde uti in Nuptiis veterum faculæ accensæ. Stanti coram altari Sacerdos velum imponit dicens, *Aspice filia & obliviscere populum tuum & domum patris tui, ut Rex decorem tuum concupiscat!* Inter hæc verba velo tegitur tanquam castitatis indice, acclamantibus, qui intersunt: *Amen.* Optatus Milevitanus, qui circa A. C. 365 floruit, MITRAS Sacris Virginibus impositas refert l. 2. ad Parmen. Accepto sacro velamine olim honestæ matronæ accurrebant & certatim velatæ virgini oscula dabant, teste S. Ambrosio in libello ad Virginem lapsam. Pontificij hunc velandi ritum Autore Pio I. Papa circa A. C. 142. cæpisse contendunt. Sed verior videtur sententia B. Rhenani, qui notis in Tertull. lib. de valendis Virginibus, post medium seculi IV morem velandi claustrales Virgines natum affirmat. Conf. S. Ambr. l. 1. de Virgin. ad Marcellinam Sororem. Nobis in alio argumento jam versantibus discutere ista nec libet nec licet.

De Nuptiis Livonicis.

Hodie non Pontificij tantùm novos Sponsos, dum copulant, obnubunt, teste Bellarmino de Sacramento Matrim. c. 33. sed & aliis populis Christianis idem est in usu. De Christianis in Lithuania vel Livonis luculentus testis, imò αὐτόπτης est V. C. rerumque apud exteros usitarum oculatus adeoque fide dignus scriptor Adam Olearius in Itinerario Moscovio-Persico l. 2. c. 9. ubi integra Nuptiarum

Livoni-

Livonicarum solennia his verbis adjecto schemate percenset : Die Ceremonien vnd Gebräuche / inquit, auff jhren (der vnteutschen Christen in Liefland) Hochzeiten geschehen folgender gestalt : Wenn Braut vnd Bräutigam in zweyen vnterschiedlichen örtern wohnen / holet der Bräutigam die Braut ein auff einem Pferde. Sie sitzet hinter jhm vnd [illegible] jhm den [illegible] vmb den Leib. Voran reitet der Spielman / dem [illegible] zween Beysitzer mit blossen Degen / mit welchen sie creutzweise in die Thür des Hochzeithauses einhawen / stecken hernach die Degen mit den spitzen oben in den Balcken / da der Bräutigam sitzet. In dem der Bräntigam seine Braut führet / hat er an einem gespaltenen Stecken zween küpfferne Pfenning oder Rundstücke / welche er denen / so für jhm die Hecken zumachen / gibet / damit sie jhn durchlassen. Die Braut hat rothe wüllene Bänder / die wirfft sie auff den Weg / fürnemlich wo Creutzwege seind / oder wo Creutze stehen auff den Gräbern der vngetaufften Kinder / denn dieselbe pflegen sie nicht auff den Gottesacker / sondern an den Weg zu begraben. Dem Bräutigam folgen ebenmässig zu Pferde die andern Gäste / die Männer mit jhren Frawen / die Knechte mit den Mägden. **Die Braut mus / so lange sie zu Tische sitzet / ein Tuch über dem Kopffe hangend haben / welches jhr Angesicht verdecket** / gleichen Gebrauch (mit zudeckung der Braut) haben die Muscovviter. Item die Perser vnd Armenier. Es scheinet / **daß das verdecken der Braut** gar ein alter Gebrauch gewesen / wie auch Plinius lib. 21. cap. 8. der meinung ist Es bezeugets auch Lucanus l. 2. de bello Pharsalico :

Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Jmgleichen Tertullianus lib. de velandis Virginibus, wenn er von der Rebecca redet / **daß sie bedecket jhrem Bräutigam entgegen kommen** / sagt er c. 11. **Auch bey den Heyden**

ist der Gebrauch / daß sie bedecket den Männern zugeführet werden. Daher sol das Lateinische Wort Nuptiæ seinen namen bekommen haben. Dann das Wort Nubere hat bey den alten geheissen / **bedecken / verhüllen.** Davon beym Rosino l. [illegible] Antiqq. Ro[illegible] ap. 37. mit mehrem [illegible] u lesen. Wenn die verdeckte Br[illegible] Bräutigam ein wenig gesessen vnd gegessen / werden sie auffgefordert vnd zu Bette gebracht / obs schon noch heller Tag ist. Vnterdessen seind die Gäste lustig vnd guter dinge. Nach zwo stunden / werden die angehenden Eheleute wieder herzugebracht vnd wird durch die gantze Nacht getantz vnd getruncken / bis eins hie / das andere dort niederfält vnd einschläfft. Hæc ille, qui de Moscoviticis Nuptiis similem *nubendi* ac *velandi* morem (cæteros enim Nuptiarum Livonicarum ritus obiter in gratiam Lectoris h. l. expressimus) commemorat lib. 3. cap. 8. sed quia nos solennia ista alibi in hoc libello exponemus, recensendis iis hîc supersedemus.

De Nuptiali Vitta & reticulo.

Velamini accenseo *Vittam*, qua novi Sponsi olim conjuncti. Vittæ rubro candidæ Isidorus Hispaliensis, annis abhinc mille inter Hispanos clarissimus, ex Ecclesiæ Scriptoribus fere primus meminit lib. 2. de Eccl. Officiis cap. 19. *Quod autem*, inquit, *nubentes post benedictionem VITTAE uno invicem vinculo copulantur, videlicet, ne compagem conjugalis unitatis disrumpant. At verò eadem VITTA candido purpureoque colore permiscetur, candor quippe ad munditiem vitæ, qui purpur ad sanguinis posteritatem adhibetur, ut hoc signo continentiæ lex tenenda utrisque ad tempus admoneatur, & posthæc ad reddendum debitum non negetur. Quod enim dicit Apostolus conjugatis, abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, hoc ille CANDOR VITTAE insinuat. Quod verò subjungit: Et iterum revertimini in id ipsum, hoc PVRPVREVS ille COLOR demonstrat.* Vitta vulgò dicitur ligamentum capitis vel fascia, qua circa caput antiqui crines

vel

vel serta aut flores aut aliud quid religare solebant, in cujus, ut & velaminis veterum, quo nova nupta erat caput contecta, locum successisse puto reticulum, quod græci κεκρύφαλον vocant, tegmen muliebris capitis, quo Sponsa altero Nuptiarum die, cum præsumitur viro commixta, capillos substringit & compescit. *Altero*, inquam, à Nuptiis die: nam *primo* in symbolum virginitatis intactæ passis crinibus incedit.

Vittæ usus inter Pontificios adhuc est, Bellarmino teste sub finem libri de Sacram. Matrim. ubi ceremonias in Rom. Ecclesia hodie usitatas succinctè enarrat: *In Matrimonio*, inquit, *hæ ceremoniæ observari solent. Primò benedicuntur novi Sponsi in Ecclesia à Sacerdote. Secundò offertur pro eis oblatio Eucharistiæ. Tertio velamine obnubuntur. Quartò* VITTA PARTIM CANDIDA, PARTIM PURPUREA SIMUL JUNGUNTUR, *cujus rei testimonium extat apud Isidorum l. 2. de Officiis cap. 19. ubi ratio singulorum redditur. Floruit autem Isidorus ante annos plus CM. Quintò annulo à Sacerdote benedicto sponsus sponsam donat. Sextò variis precibus conjugium recens contractum Deo commendatur. Septimò cohortatione sacerdotali monentur officii, ut honestè in Matrimonio se gerant.* Gloriatur ibidem Bellarminus neque Kemnitium ad canonem 11. sess. 24. Concil. Trid. ubi anathema dicitur hos ritus contemnentibus, aliquid contra has cæremonias scripsisse, neque apud ullum auctorem se adversus easdem quicquam solidi legisse. Tu verò apud B. Gerhardum Tomo VII. de *Conjugio & Cælibatu* §. 465. & 466. multa in his Papalium Nuptiarum ceremoniis desiderata invenies.

De Ritibus Nuptiarum Pontif.

Nos à Sponsa ejusque ornatu, velo & vitta ad Sponsum pergamus, qui olim non minus atque Sponsa *serto* vel *corona* caput redimitus in publicum processit. Hinc Sponsa cælestis virgines sibi socias acclamat: *Egredimini! videte filiæ Sionis, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater*

De Sertis Sponsorum & Nuptialibus coronis

ter sua in die DESPONSATIONIS) (Rectè B. Lutherus: Am tage seiner Hochzeit) *in die lætitiæ cordis ejus*. Cant. 3. 11. Unde fit Sole clarius, Sponsos die Nuptiarum coronatos, & *diademate*, siquidem magnates essent, conspicuos stetisse. Apposite B. Gerhardi in Postilla Salomonea, Conciones prima Adventus, qua hæc Cantici verba declarat: Vorzeiten trugen Kronen nicht allein die Könige / sondern auch die Bräutigam / wie dann noch heutiges tages die schönsten Ehrenkräntze als Kronen geflochten / vnd Kronenkräntze werden genennet. Christus trägt billig solche Krone / weil er nicht allein ist vnser König / sondern auch vnser Seelen-Bräutigam — Was zieret aber einen Bräutigam mehr als sein Krantz vnd Krone? Adeo scilicet CORONA NVPTIALIS Spiritui S. complacuit, ut sub ea mysterium illud *ὁμολογουμένως μέγα*, *Incarnationis* inquam vel ut cum SS. Patribus loquar, NUPTIAS Christi PERSONALES exponere non dubitaverit. Similis locus occurrit Es. *61*. 10 *Tanquam Sponsum, inducere fecit ornatum*. Vox ebr. פְּאֵר ornamentum capitis, quale est tiara, significat.

In Ecclesia N. T. Sponsos in signum inviolatæ pudicitiæ coronas, dum ad Templum à paranymphis deducerentur, gestasse fidem facit S. Chrysostomus in Gen. ubi hanc impositæ coronæ rationem reddit: *Quid sibi vult corona? ut ostendant conjuges, se usque ad id tempus victores cupiditatum fuisse*. Erat corona apud Veteres (1) *signum lætitiæ*. Hinc *Bacchus* lætitiæ dator *coronatus*, & *pocula coronata*, vel *vina coronata* quod fæcundi calices bibentium corda in symposiis exhilarent (2) *signum honoris*. Honoris ergo Reges coronantur; & Seneca l. de Benef. cap. 8. Coronam *honoris insigne* vocat (3) *signum victoriæ*. Talis erat *triumphalis* corona, olim è lauru, postea ex auro, quæ Imperatoribus cum victoria domum redeuntibus dabatur. Omnium horum index est Corona Nuptialis (1) *lætitiæ*, quòd dies Nuptiarum sit *dies lætitiæ*

 titiæ

titiæ cordis, ut paulo ante ex Cantico dictum (2) *Honoris*, quod dies Nuptiarum sit dies, quo inprimis Sponsi honorantur. Vnde adhuc Nuptiæ dicuntur der Eheleute Ehrentag (3) *Victoriæ*, quia Sponsorum serta, Chrysostomo teste indicant, novellos conjuges corpus animumque à seculi cupiditatibus hactenus illibatum gessisse & pravos concupiscentiæ motus per Dei gratiam viriliter superasse, nec in mortali ipsorum corpore libidinem dominatam; adeoque jam in Nuptiis se ut virgines castas Ecclesiæ exhibere.

Fuit porro mos sacer, ut *Sacerdos* Sponso coronam contexeret eidemque inter solennia imponeret, quod ex Sim. Metaphraste, in vita Tarasii colligitur Tomo 5. Heraclio Imperatori & Eudociæ *Nuptiales coronas Sergius Patriarcha imposuit*, referente Paulo Diacono l. 18. rerum Rom. Ratio, ob quam *Sacerdos* coronandis Sponsis olim delegatus, videtur ista, quod quemadm. in civili Republ. aliquis Primatum coronandi munus peragit: sic in Sacra Rep. decorum sit visum, ut Antistes Ecclesiæ, is præsertim, qui novas Sponsos copulat, coronam imponat eoque ritu quasi dicat: Sumite coronas, Sponsi, *lætitiæ* vestræ symbola, *lætare, Sponse, cum uxore adolescentiæ tuæ, ubera ejus te inebrient omni tempore, & in amore ejus jugiter delectare!* (Prov. 5. 21.) Sumite coronas, Sponsi, *honoris* vestri indices: *Honorata enim sunt Nuptiæ in omnibus*; Benedicite Domino, qui vos hodie sua Gratia coronat, qui in bonis desideria vestra replet. Sumite coronas, Sponsi, tesseras *victoriæ vestræ*; Coronas impono, quæ publica sint testimonia, vos hactenus non libidinis mancipia, sed Reges affectuum, non carnis cupiditatibus, non juvenilibus desideriis obsecutos, sed fortiter iisdem ac gloriosè esse dominatos. Nuptiales hæ coronæ sunt de superatis affectibus vestræ triumphales! Facit huc constitutio illa apud Harmenopulum: *Nemo Nuptias clam contrahens*

Sacerdos στεφανοποιός.

CORO-

CORONETUR, sed pluribus astantibus. Qui id facere ausus fuerit, puniatur cum Sacerdote, qui coronat. Lib. 4. t. 4.

Hierologia vel Copula Sacerdot.

Ritus in & ab Ecclesia circa Nuptias olim adhibitos, & huc usque recensitos, COPULA SACERDOTALIS supereminet adeoque præ cæteris expendi hic ritus meretur. Occasio τῆς ἱερολογίας primæva Conjugii institutione in Paradiso videtur sumta, Gen. 2, 23. ubi Deus mulierem de costa viri compactam non tantùm Adamo adduxit, sed & utrique benedixit h. m. *Crescite & multiplicamini!* ut proinde ipse Conjugii Autor, divinissimo suo exemplo Nuptiis benedicendis viam Ecclesiæ quasi præmonstrarit. Post illa in Dei Populo, etsi nuspiam benedictio novorum conjugum nedum certa benedicendi formula *in specie* sit Lege Mosis præscripta vel divinitus imperata, vero tamen fit simile, Israëlitas matrimonia sua *precibus publicis* initiasse, idque ex Ps. 128, colligitur, qui totus *Nuptialis* est. In eo novellus maritus hac prece consecratur: *Labores manuum tuarum manducabis, beatus es & bene tibi erit, uxor tua sicut vitis frugifera in lateribus domus tuæ. Filii tui, sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce, sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et filios filiorum tuorum, & pacem super Israël.* Hunc verò Psalmum in novorum conjugum publica copulatione & consecratione à Sacerdote recitatum probabile hinc est, quod hic *Psalmus Graduum* vocetur. *Psalmi* autem *Graduum* ex eo sunt dicti, quòd Sacerdotes in loco eminentiori stantes eos decantarint & pro conditione præsentis status & auditorum quosdam ex illis elegerint v. g. calumniis oppresso prælegerunt Psal. 120. in magnis periculis posito Ps. 121. *Nuptias celebraturo* Ps. 128. annotante B. Gerhardo Tomo 7. de Conjugio §. 459.

Interdum Pater vel Socer copulandi ac benedicendi

officium

officium in V. T. peregit, quod ex historia Tobiæ palam est. Benedictus Parentum.
Cum enim Raguel Saram, filiam unicam, Tobiæ Juniori despondisset, vocavit eam & *apprehensa ejus dextra tradidit illam in manus Tobiæ dicens: Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob vobiscum sit & conjungat vos impleatque benedictionem suam in vobis?* Equidem fateor, in textu græco, qui huic libello authenticus est, istam benedicendi formulam (quæ tamen elegans est & pia) non extare, nihilominus legitur fausta precatus his verbis: ὁ ἐλέημων θεὸς ἐυοδώσει ὑμῖν τὰ κάλλιστα, *Deus optimè faciat vobis succedere!* Καὶ λαβὼν τῆς χειρὸς ἀυτῆς παρέδωκεν ἀυτὴν Τωβία γυναῖκα, καὶ εἶπεν ἰδοὺ κατὰ τὸν νόμον μωύσεως κομίζε ἀυτὴν καὶ ἄπαγε πρὸς τὸν πατέρα σου, καὶ ἐυλόγησεν ἀυτούς. Itaque ἡ ἐυλογία in die Nuptiarum à Parentibus quoque peracta. Nec obstat, libellum Tobiæ *extra canonem* esse, nec à plerisque veram historiam censeri: nobis enim non articulum fidei, sed ritum priscis seculis receptum probandi jam animus est. Id verò ex libris Ecclesiasticis æquè ac Canonicis fieri posse constat.

Hodierni Iudæi, τῶν πατροπαραδότων tenacissimi solennem habent copulam & peculiarem *benedictionis locum*, in quo novos Sponsos sub erecto velo, quatuor perticis suffulto collocant. Rabbi, Sacerdotis vicem sustinet & gemina *benedictione* eosdem consecrat, quarum alteram בִּרְכַּת אֵרוּסִין *benedictionem sponsalem*, qua pro Sponsalibus jam contractis Deo gratias agit, & porrecto vitro vinum saluti ipsorum libat & annulum, cujus aurum hospites explorant, digito Sponsæ, auriculari proximo inserit: alteram בִּרְכַּת נִשּׂוּאִין *benedictionem conjugalem* vocant, qua gratias Deo agit pro matrimonio jam contracto, & denuo vinum ex alio vitro propinat, quo accepto Sponsus vitrum prius in memoriam destructi Templi confringit. Acclamant, qui intersunt בָּרוּךְ הַבָּא *Benedictus, qui venit in nomine* Judæorum Copula.

 Domi-

Domini! & tritico in Sponſos conjecto ſubinde primævam Conjugii benedictionem repetunt: *Creſcite & multiplicamini* Gen. 1, 28. Vid. Ant. Margarita lib. de Iudaicis Ritibus, quos obſervaſſe multùm juvat, cum è Majoribus deſcendant (licet ſint hodie infideles) qui olim in ſumma apud Deum gratia & fædere fuerunt, unde probabile fit, nonnullos adhuc ritus, ex Iſraëliticæ Eccleſiæ V. T. more traductos penes ipſos ſupereſſe, quos inter *Conſecrationem novorum conjugum* referre non dubito.

Origo Copulæ Sacerdot. in N. T.

In Orbe Chriſtiano conſtans eſt traditio, COPULÆ SACERDOTALIS inſtitutum alterutri horum, Evariſto vel Soteri, quorum ille A. C. 97. Hic A. C. 174. Romæ fuit Epiſcopus, eſſe tribuendum. Evariſtus ad Africanos hanc miſiſſe fertur epiſtolam: *Aliter legitimum, ut à Patribus accepimus & à ſanctis Apoſtolis eorumque Succeſſoribus traditum invenimus, non fit conjugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur, & quibus cuſtoditur, uxor petatur & à parentibus ac propinquioribus ſponſetur & legibus dotetur & ſuo tempore, SACERDOTALITER ut mos eſt, CVM PRECIBVS ET OBLATIONIBVS A SACERDOTE BENEDICATVR & à Paranymphis, ut conſuetudo docet, cuſtodita & conſociata à proximis congruo tempore petita, à legibus dotetur ac ſolenniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent & caſtitatem cuſtodiant*, quæ Epiſtola non tantùm nuper Tomis Conciliorum, ſed & Decreto Gratiani Cauſa 30. q. 5. Cap. *Aliter* quingentis abhinc annis eſt inſerta.

Diſcimus hinc (modò genuina ſit epiſtola, quam tamen certum eſt antiquam eſſe nec χθὲς καὶ πρώην confictam) in Vet. Eccleſia præter ipſos contrahentes, Parentum quoque & cognatorum, imo & *Tutorum* (nam & hi ſuper fœminam, cùm ſint loco Parentum, dominationem habent) conſenſum in Sponſalibus ſanctè requiſitum, quod & ſupra pluribus oſten-

ostendi (2) DOTIS usum inter Christianos semper fuisse, & dotandi morem *Legibus*, quo nomine IUS ROMANUM intelligi puto, priscis quoque seculis, conformatum (3) Sponsos à Sacerdote benedictos bifariam: PRECE & OBLATIONE, ubi quid offerendi voce notetur, inferius declarabo (4) *Paranymphos* olim, (æque ac hodie) adhibitos, qui Sponso vel Sponsæ in Nuptiis assederunt eosque deduxerunt, cui assessorum sive comitum officio delecti proximi cognati, qui hactenus Sponsam domi suæ *custodiverant*, more tum circa Virgines recepto, de quibus Phocylides in Nuthetico: *Virginem clausis thalamis benè custodias nec ante Nuptias extra domum conspici permittas.* S. Chrysostomus Homil. de Hanna: *Ex virginibus* θαλαμευομέναις h.e. *thalamo conclusis juniores nubiles diligentius custodiantur.* Hi pudicitiæ custodes in Nuptiis Virginum erant paranymphi. Denique (5) Evaristi rescripto (vel quisquis Autor sit) docemur, quanta veterum in Nuptiis castimonia fuerit, quippe qui non cæca libidine, non bruto affectu in coitum irruerunt, sed primas noctes mutuis precibus Deo consecrarunt, de quo infra. H. l. inprimis notamus Sacerdotalis benedictionis ritum *Apostolis Autoribus* primisque Ecclesiæ Patribus, sanctissimisque Episcopis, qui Apostolica tempora contigerunt, h. e. *Viris Apostolicis* olim, nec malè, nî fallor attributum.

Benedictio Conjugum præstigiis Satanæ opposita.

Soteri, in eadem cathedra Evaristi post octoginta annos Successori simile in eadem causa Decretum assignant; qua de re Platina, Vitæ Pontificum diligens scriptor in Vita hujus Papæ: *Soter*, inquit, *animum ad sacra convertens instituit*, *NE LEGITIMA HABERETVR VXOR*, *NISI CVI SACERDOS ex instituto BENEDIXISSET. Hoc ideo constituit, ut pericula evitaret, quæ tum temporis in novas Nuptias ex præstigiis cadere sæpe solebant. Gratianus hoc decretum Evaristo tribuit. Vtri competat, Lector arbitretur.* Hæc Platina, quibus rationem inductæ in

in Ecclesiam Copulæ Sacerdotalis reddit. Si quis ordo vel status vitæ humanæ insidiis dæmonum ac molestiis & curis sit obnoxius, is certè fuerit sacer Matrimonij ordo, dicente Apostolo, *habituros tales afflictionem in carne* 1 Cor. 7,28. Unde alij Nuptias *dulces* vocant *molestias*. Itaque principijs obstandum pii Veteres ac BONO CUM DEO, DEO PROPITIO Nuptias auspicandas religiosè statuerunt eoque animo non *privata* solum prece futura sua conjugia Deo commendarunt, & *orationibus domesticis* futuras suas Nuptias communiverunt, sed ad *publicas quoque fidelium Synaxes, ad Oratoria, ad ædes sacras* veluti asyla, Satanæ insidias veriti perrexerunt, ubi totius Ecclesiæ nomine Sacerdos cum collecta fidelium multitudine pro novellis Sponsis Deum exoravit & *publicis precibus* inita Matrimonia confirmavit, ne Diabolus, osor conjugii & juratus Nuptiarum hostis, vel *Asmodæus* aliquis (Tob. 6,15. & cap. 7,3.) nocumenta Sponsis inferret, lites & discordias inter eos fereret, prolem impediret, conjuges violenta vel immatura morte dirimeret, rem familiarem dissiparet, aliisve mille modis vel per se vereor organa sua noceret, præsertim cum sæpe inter gentile novi Sponsi fascinarentur ac ab initio Nuptiarum præstigiis dæmonum ligarentur, ut conjugij debita alter alteri solvere non possent. Adversus has & similes præstigias inprimis *Benedictio Ecclesiastico* olim videtur valuisse; & crediderim, cum in Ecclesia *donum miraculorum* viguit, miraculosum contra magicas artes & fascina effectum sæpe eam habuisse, ut dolendum sit, hodiè inter Christianos reperiri, qui dum illa ipsa copula in Templo peragitur, vim coeundi nescio quibus *diabolicis* ligaturis, quasi nodo Gordio conligant; cùm in Pròmitiva Ecclesia eadem hæc Benedictio fuerit quasi sepe, imimurus aheneus, ne Satanas vel orgia Satanæ noxas darent Sed de his alibi.

Verùm

Verùm quum inter eruditos notorium, sit decretales epistolas primorum Rom. Pontificum, quæ ex ævo martyrum circumferuntur, plerasque supposititias vel hæretica fuligine tinctas aut mendosas vel sequioribus seculis esse confictas, operæ prætium est, ut ex indubitatis scriptis Copulam Sacerdot. primis Ecclesiæ seculis receptam ostendamus. Prodeat igitur latinorum omnium, quotquot hodie extant, Patrum antiquissimus Tertullianus, cujus lib. 2. ad Uxorem verba hæc sunt: *Vnde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & Oblatio confirmat & obsignatum Angeli renunciant, Pater pro rato habet.* Sed quo alias modo Ecclesia matrimonium conciliat, nisi novos Sponsos per Sacerdotem in nomine SS. Trinitatis copulando? Itaque conciliatio matrimonij h. l. est Copula novorum Conjugum, Sacerdotis prece benedicta.

Ecclesia Matrimonia conciliat.

Ad hæc Tertulliani referre juvat, quæ circa eadem Annalista Baronius observat ad A. C. 57. *Nos*, ait, *singula explicemus; antiquos enim Ecclesiæ mores Annalibus nostris intexere ex instituto suscepimus. Ecclesia fidelium conciliat matrimonium, dum per Sacerdotem contrahentium mutuo elicito consensu junguntur in unum illorum dextræ, quibus accedit osculi sancta libatio atque velatio, de quibus ritibus agit Tertull. l. de veland. virg. cap. 21. Ad dictum ritum jungendi dextras alludit Gregorius Nazianzenus ad Anysium scribens, cum ad Nuptias filiæ ejus invitatus, se excusans, quòd affectus esset ægritudine, hæc addit: Animo & voluntate adsum, simulque festum celebro juvenilesque dextras inter se jungo atque utrasque Dei manui. Quod enim junctis dextris stolam sacerdotalem eorundem manibus superponere solet sacerdos, id nempe est, quod ait Gregorius: Vtrasque Dei manui jungo. Hæc subsequitur Benedictio & forma quædam verborum, quæ perficit matrimonium, de quibus vid. Concil. Carthag. l. V. can. 13.* Hæc Baronius. Et quid manifestius illo Tertulliani l. de Monogamia cap. 11.

Ut igitur in Domino nubas secundum Legem & Apostolum — CONJUNGENT VOS IN ECCLESIA (Episcopus, Presbyteri Diaconi) *in Ecclesia Virgine unius Christi unica Sponsa.* Itaque conjunctiones conjugum ævo Tertulliani, adeoque ab initio ferè *Ecclesiæ* in publico fidelium conventu coram clero ac plebe h. e. præsentibus presbyteris, diaconis, viduis &c. solenni ritu sunt peractæ.

De abstinentia primæ noctis in honorē copulæ.

Ex quarto seculo evidens eidem Copulæ testimonium S. Ambrosius perhibet, breviter sed rotundè affirmans, *Conjugium velamine Sacerdotali* & BENEDICTIONE *sanctificari oportere*, Epist. 70.; *Profanas* igitur Nuptias æstimat, quibus Sacerdos non benedixit. Paria sanxit Concilium Carthag. IV. can. 13. *Sponsus & sponsa cum* BENEDICENDI SUNT A SACERDOTE, *à Parentibus & Paranymphis offerantur, qui cum BENEDICTIONEM acceperint, eadem NOCTE pro REVERENTIA IPSIUS BENEDICTIONIS in Virginitate permaneant.* Habita est hæc Synodus A. C. 398. præsente ut nonnulli putant, S. Augustino. Unde perspicuum est non benedictos solùm à Sacerdotibus Sponsos, sed & tam reverenter Sacram Copulam in Vet. Eccl. habitam, ut in ejus honorem *nocte prima* ab actu conjugali abstinuerint, imò stante Evaristi decreto, *per biduum, sæpe triduum*, recens copulatos non concumbere, sed vacare precibus oportuit, forsan exemplo Iunioris Tobiæ, Saram Sponsam in thalamo compellantis: *Sara surge, deprecemur Deum hodie, cras & perendie, quia his tribus noctibus Deo conjungemur. Nocte autem tertia transacta in nostro erimus conjugio. Filij quippe sanctorum sumus, nec decet nos conjungi, sicut gentes, quæ Deum ignorant*, Tob. 8, 4. Sed & Apostolus abstinere conjuges jussit, cum orationi impensius operari intendunt. Verùm an hic de abstinentia primæ, secundæ ac tertiæ noctis canon ab omnibus & singulis in V. E. sit observatus, equidem non juraverim.

Admi-

Admirandæ sanctitatis nec minoris doctrinæ Synesius A. 420. Ptolemaidis Cyrenaicæ Episcopus ab ecclesia illa lectus, ab Archiepiscopo vel Patriarcha Alexandrino uxorem sibi fecit copulari, eamque in episcopatu se non dimissurum, sed ei cohabitaturum palam professus est, data ad Eutropium fratrem epistola: Ἐμοὶ, inquit, ὅτε Θεὸς, ὅτε νόμος, ἥτε ἱερὰ Θεοφίλε χεὶρ γυναῖκα ἀπιδέδωκε. *Mihi & Deus & lex & sacra Theophili manus uxorem dedit. Prædico igitur omnibus & protestor, me eam nunquam deserturum, nec cum ea ut mæchum clam congressurum: alterum enim à pietate, alterum à legibus alienum est; quin optaturum & precaturum, ut multi probique mihi nascantur liberi.* Epistolam integram Nicephorus lib. 14. hist. eccl. c. 55 recitat. Vnde has SS. Antiquitates docemur (1) non laicos tantùm & clericos inferiores, sed & *episcopos* uxoribus copulatos, & quamvis uxorum commercio non renunciassent, ad cathedram sæpe evectos, quemadm. Synesius non obstante conjugali copula & diserta protestatione de retinenda uxore & liberis gignendis, episcopatum adiit, imò ecclesiæ magno cum decori, tum usui fuit (2) Copulam, *jungentibus ac benedicentibus episcopis* olim peractam, inque ea usum τῆς ἱερᾶς χειρὸς *sacræ* sacerdotum *manus* fuisse, ut proinde episcopi olim propriis manibus, dum copularunt, Sponsas Sponsis adduxisse inque horum potestatem tradidisse videantur (3) Copulam hanc, sive *episcopalem* sive *sacerdotalem*, adeò sanctam habitam, ut ἥκιστα εὐσεβὲς *ab omni pietate alienum* duxerint deserere uxorem Sacerdotis manu semel traditam, & grande nefas, ἥκιστα νόμιμον, *contra omnia jura* alteri cohabitare. Conf. B. Calixtum Tract. de Conjugio Cleric. pag. mihi 328.

Episcopi uxoribus copulati.

Hormisda, ut in Decreto legitur Causa 30 c. 2. tale in præses Decretum fertur condidisse: *Nullus fidelis, cujuscunque conditionis sit, occultè Nuptias faciat, sed* BENEDICTIONE ACCEPTA A SACERDOTE *publicè nubat in Domino.* Vixit

Hor-

Hormisda Rom. Episcopus A. 514. Ex dictis colligo, Benedictionem Sacerdotalem in Vet. Eccl. clandestinis Nuptiis oppositam, cum boni publici intersit Nuptias in publico obsignari. Eodem digitum intendit Leo Papa: *Legitima uxor*, ait, *à parentibus petenda, à paranymphis adducenda, secundum Legem & Evangelium PVBLICIS NVPTIIS in conjugium sumenda*, ubi *Nuptiæ secundum Legem & Evangelium publicæ* aliæ non sunt quàm Dei verbo, quod Lege & Evangelio constat, in publico consecratæ. Utrique horum Nicolaus Papa consentit in commonitorio, quo legatos suos Rodoaldum Portuensem & Iohannem Ficolensem episcopos in causa matrimoniali Gualdradæ ac Thiethergæ Uxorum Lotharii instruxit. Verba Nicolai sunt: *Si eundem gloriosum Regem prædictam Gualdradam præmissis* DOTIBUS *coram* TESTIBUS *secundum* LEGEM *&* RITUM. *quo Nuptiæ celebrari solent, per omnia inveneritis accepisse &* PVBLICA MANIFESTATIONE *in Regis matrimonium Gualdrada fuit admissa, restat, ut perscrutemini cur illa sit repudiata vel filia Bosonis admissa? — Si verò minimè probatum fuerit Gualdradam fuisse Vxorem* LEGITIMAM *neque Nuptiis secundum morem celebratis per* BENEDICTIONEM *scilicet* SACERDOTIS *filio nostro Lothario extitisse conjunctam, suggerite illi, ut non molestè ferat, legitimam sibi (si innocens apparutrit) uxorem reconciliari.* Vid. Gratianus Causa 31. q. 2. Cap. Lotharius.

Idem Ecclesiæ statutum, ne scilicet absque sacerdotum copula uxor legitima censeretur, Imperatoriis edictis adeoque Iure Civili legimus confirmatum. Hinc Harmenopulus lib. 4, Epit. t. 4. *Hodie non nudo consensu matrimonium contrahitur, sed nisi* SACERDOTVM PRECIBVS *corroboratum fuerit, nec Nuptiæ contrahuntur; nec prohibentur, qui contrahunt, à se invicem discedere*, idq; à Leone Philosopho & Alexio Comneno Impp. ita constitutum refert. Leonis M. constitutio

inter

inter Novellas ejus extat constit. 89. *Quemadmodum adoptionem promiscuè habitam neglexit vetustas, quam tametsi sine precibus sacrisq; ceremoniis peragi lege permitteret, non tamen illam se parvipendere putabat: ita & absolutam matrimonij constitutionem, dum id citra* IAM RECEPTAM BENEDICTIONEM *iniri sineret, neglexisse videtur, sed à veteribus istius voluntatis ratio inveniri possit, à nobis verò cùm divina gratia ad honestius multo sanctiusque vitæ institutum jam res comparatæ sint, neutrum dictorum negligi convenit. Itaque quemadmodum adhibitis sacris deprecationibus adoptionem perfici percepimus: sic etiam Matrimonia SACRAE BENEDICTIONIS TESTIMONIO confirmari jubemus, adeò ut si qui citra hanc matrimonium ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neque illos in vita illa consuetudine matrimonij jure potiri volumus.* Præfuit Imperio Orientis Autor Novellæ, Leo Sextus, cognomento Sapiens sub finem seculi IX.

Similem Legem Alexius Comnenus seculo XI excunte Græcorum Imperator, & Leonis post duo ferè secula Successor condidit, cujus constitutio inter Imperatorias Novellas Const. 3. de Sponsalibus, & de Sponsalium solutione extat, qua sancitur, ea *sponsalia matrimonij vim & effectum habere, quæ* SACRA BENEDICTIONE *sint confirmata idque propterea, quod absurdum sit,* CONSECRATIONEM MATRIMONII ET PRECES ADHIBITAS *pro nihilo tanquam vanum aliquid reputare, quasi inter personas, quæ conjunguntur, Deus adhibitus non esset; eas demum Nuptias pro veris habendas & veris æquipollere, in quibus* SACRA BENEDICTIO *peragitur, DEO inter eos, qui conjunguntur, interveniente, & primam vitæ conciliationem confirmante, reliqua verò Sponsaliorum tantùm noctum habere.* Justinianus A. 527. Rom. Imperator adeoque duobus istis, Alexio & Leone antiquior Nuptias omnes peragi jussit *cum attestatione apud defensorem Ecclesiæ.* Novel. 74. cap. 4. §. 1.

M Neque

Copula Sacerd. de essentia conjugii non est.

Neque verò hæc sive ecclesiæ decreta sive Impp. edicta eo rigore sumi debent, quasi ἡ ἱερολογία, quam græci; sive COPVLA SACERDOT. quam latini appellant, sit de essentia Nuptiarum vel pars Matrimonij constitutiva. Minimè! Neque de jure divino positivo, neque de jure naturæ, neque de jure gentium, neque de prisco jure civili communi Copula Sacerd. est essentialis Matrimonio ut sic vel absolute Non sanè de *jure divino*, cùm in tota S. Scriptura V. & N. T. nuspiam expressum Dei mandatum de Candidatis Matrimonij à Sacerdote in Templo benedicendis extet, etsi *vestigia* sacræ hujus Copulæ in Codice θεοπνεύστῳ reperiri concesserim. Non de *jure naturæ*, nam, ut rectè definit ex Lumine Rationis Summus Aristoteles, Κοινωνία γαμικὴ ἐστὶ σύζευξις τοῦ ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικὸς φυσικὴ καὶ ἀχώριστος ὑπὸ τῆς θείας, τῆς παιδοποιΐας καὶ συνεργίας ἕνεκα 1 Polit. cap. 3. Aliàs definitur legitimus consensus legitimarum personarum in indissolubilem vitæ consuetudinem verbis externis legitimè expressus. Neutra definitio τὴν ἱερολογίαν complectitur. Non de *jure gentium*, quia inter infideles, Paganos, Turcas, Iudæos vera & integra, uti olim fuere, sic adhuc sunt matrimonia, quæ ipse Apostolus *non dirimenda* statuit 1 Cor. 7, 12. Sed nemo infidelium ducturus uxorem ab Ecclesia sive nunc sive olim benedictionem Sacerdotalem petiit. De essentia igitur veri, atque formalis matrimonii τὴν ἱερολογίαν Gentes extra Ecclesiam non agnoscunt. Nec denique essentialis illa est de veteri Iure Civili Romano, siquidem Iustiniano in princ. Institutionum de pat. potestate. Matrimonium definitur *viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens*, nulla Copulæ Sacerdot. mentione facta; & Wesenbecius aliique JCti expressos Juris textus dudum annotarunt, quibus, omissa etiam Hierologia, liberi non pro spuriis nec pro injustis censentur. Vid. Kitzel Synopsis Matrim. c. 5. theorem. 10.

Nec

Nec ab altera parte sunt hæc dicta eò extendenda, ut Apostolicum hunc hodieque Oecumenicum ritum ab Ecclesiæ initio per tot secula traductum *vilipendendum* vel in cujusvis arbitrio, num adhibere eum velit necne? permittendum censeamus. Absit! Ex antiquo purioris ævi instituto, quod Agenda nostrarum Ecclesiarum & optimæ quæque Ordinationes Eccl. sanctè confirmant, juxta ac intuitu publicæ utilitatis & honestatis, omninò necessaria hodiè est (necessitate quamvis hypothetica) ad Nuptias consummandas Copula Sacerdotalis, licet per se non ipsas Nuptias (Nuptiis pro Matrimonio acceptis) constituat, sed ad *solennia* Nuptiarum vel ad *festivitatem* Nuptialem, & ad consensum *matrimonialem* (quem à *Sponsalitio* diversum fatemur) publice coram testibus in Ecclesia declarandum directè spectet; eoque sensu priscos sive Patres sive Impp. intelligo, quibus Nuptiæ omissa Hierologia *illegitimæ* vocantur, quod absque *solennitate Legum* sint peractæ. Ratum enim ac legitimum Conjugium definiunt, quod Christiani servatis Legum & Canonum solennitatibus (Inter quas Copula Sacerdot. eminent) contraxerunt.

Sine Hierologia Nuptiæ illegitimæ.

Causæ, ob quas solennis hæc Benedictio est invecta, assignari sex possunt (1) quod omnium rerum ab immortali Deo primordia sint ducenda. Id si unquam alias, certè in sanctissimo hoc fœdere, *in Matrimonio* inquam, unde totius vitæ vel calamitas vel felicitas pendet, erit observandum, ut ejus initia Deo Opt. Max. consecremus & precibus Ecclesiæ commendemus. A quo enim rectiùs conjugium auspicatum petitur, quam ab Auctore Conjugii. Pater credentium, cum Nuptias filio meditaretur: *Dominus*, inquit, *mittet Angelum suum & accipiet uxorem filio meo* Gen. 24, 7. Et internuncius Abrahæ, adducta Sponsa, Deum juxta puteum orat, ut Nuptias fortunet, cumque res benè successisset, humicu-

Causæ sex τῆς ἱερολογίας.

bans DEO gratias agit. Altera τῆς ἱερολογίας ratio est, quod Adam & Eva ab ipso Deo in Paradiso, in Innocentiæ Statu conjuncti sint & benedicti quæ primorum Conjugum consecratio post Lapsum, imò post diluvium in Noacho, unde omnes nos oriundi, fuit iterata Gen. 9, 1. In hoc exemplum veluti speculum veteres Christiani oculos animi defixerunt, & divino illi instituto accommodum & æquum putarunt, ut è Dei manu, voce Sacerdotis administra Conjuges acciperent adeoque DEVS Nuptiarum auspex, Ecclesia pronuba esset.

Tertia inductæ Copulæ Sacerd. ratio videtur, ut matrimonium jam consummandum non iis tantum, qui Sponsalibus interfuissent, sed & toti Ecclesiæ, cujus membra Sponsi erant, innotesceret, nec clam, vel remotis arbitris, in angulo, sed palam, spectantibus quasi & approbantibus Deo, Angelis & ECCLESIA Nuptiæ agerentur, cujus Matrimonii felicitatem inenarrabilem statuit Tertull. Solenni ergo Copula Veteres CLANDESTINIS NVPTIIS h. e. ut Tertull. loquitur, *Nuptiis apud Ecclesiam non professis* obstare voluerunt (4) ut præstigiis dæmonum & technis malevolorum, qui Satanæ instinctu Nuptias rident, cavillantur, libidini tribuunt, novos conjuges nequiter fascinant &c. occurrent, de quo pluribus supra, ubi Soteris Papæ decretum adduxi (5) ut publicè constaret Nuptiarum fædus SACROSANCTVM h. e. tota vita indissolubile & inviolabile esse, itaque firmatum, ut disrumpi à nemine mortalium posset: *Quod* enim *DEVS* (vel Dei vice Sacerdos) *conjunxit, hominum nulli separare fas est*.

Sexta denique ratio est, ne Christiani in Nuptijs contrahendis pejores ethnicis viderentur: hi enim Nuptias suas Diis variis consecrarunt; Hinc Iupiter *Gamelius*, cui conjugia inprimis curæ; Iuno *Pronuba*, cujus auspicijs Nuptiæ celebratæ;

lebratæ, Venus, cujus beneficio conjuges fæcundati. Cum mas & fæmina conjungerentur, Deus *Iugatinus*; cum Sponsa domum duceretur, Deus *Domiducus* vel *Domitius*; ut maneret cum viro, Dea *Manturna* invocabatur. Implebatur cubiculum turbis Numinum; cum Paranymphi discederent, aderat Dea *Virginensis*, Deus *Subigus*, Dea *Prema*, Dea *Partunda* & *Venus* & *Priapus &c.* de quibus Lactantius lib. 1. Instit. div. S. Augustinus l. 6. de Civ. Dei Blondus lib. 1. Romæ triumphantis aliique legantur. Cum igitur ethnici in Nuptiis agmina deorum adhibuerint, veteres Christiani, similitudine rituum ethnicos lucratur, quod impium erat in moribus gentilium, pudendam scilicet idololatriam sustulerunt, & verum atque unicum Deum, Patrem, Filium, Spiritum S. solenni prece in Nuptiis, Copula instituta, adorarunt adeoque morem invocandi Deum Nuptialem, ab ethnicis tanquam *injustis possessoribus* ad sua sacra, mutatis mutandis, religiosè transtulerunt. Videatur h. l. eruditissimus de Connubiorum Iure, vel de Sponsalibus & Nuptiis Tractatus *à multis*, ut habet inscriptio *desideratus* Pauli Cypræi, Principum Holsatiæ quondam Consiliarij, Cap. 9. §. 15. qui in eo tamen aberrat, quod sine Hierologia matrimonium *simpliciter* nullum admittat.

Memorabile est in Vet. Ecclesia, quamvis rigida Disciplina esset, Concubinatum tamen fuisse toleratum nec censuris canonicis subjectum. Concubina à concubitu, dicente S. Ambrosio lib. 3, Offic. cap. 14 (unde Tertulliano *Gladius concubinus*, qui ad caput dormientis pendebat, lib. de Resurr. carnis) media erat inter uxorem legitimam & meretricem. Uxor Legitima erat, quam maritus juxta sacros canones, lege publica sibi copulari fecerat. Meretrix, quæ viris promiscuè, accepta mercede commiscebatur, eadem *fornicaria*, quod sub fornicibus habitare suique corporis usuram

Concubinatus olim concessus.

ram incellis meretriciis facere cuilibet consuevisset & *Prostibulum*, quod pudore omni posito *pro stabulis* h. e. ante diversoria sederet, & ex advenis caperet quæstum. Sed concubina erat, quæ *uni* duntaxat viro sui copiam faciebat, adeoque concubinatus erat unius viri cum una fæmina cohabitatio, vel status inter legitimam uxorem, quam Sacerdos copulaverat, & meretriciam fæminam, (cujus concubitus publica Pœnitentia semper fuit expiandus) intermedius.

Matrimonia conscientiæ. Vulgo MATRIMONIA CONSCIENTIÆ vocant, de quibus accipio illud Concilii Toletani I. can. 7. *Qui Uxorem non habet, sed pro Uxore concubinam, à communione non repellatur*, quo ipso declarat Synodus, sub Theodosio II circa A.C. 400 habita conscientiam hujusmodi conjugiis non lædi; concubinarium enim cum sua concubina ad Sacram communionem admittit. Posteriores verò canones omnem conjunctionem, absque hieorologia, eoque etiam concubinatum prohibuerunt. Existimaverim in can. Toletano, concubinæ nomine veram uxorem intelligi, sed quæ sine solennitatibus eccles. esset ducta. Simili modo Isidorus Hispal. Concilii illius probè conscius lib. de distantia V. & V. T. scribit *Christiano licitum non esse, nisi unam tantùm habere aut Uxorem, aut Uxoris loco Concubinam.* Sed quomodo concubinam alere Christiano liceat, nisi sit uxor? Est ergo Concubina medii ordinis inter uxorem principalem, & ancillam, & quia ex utroque participat, modo uxor, modo ancilla vocatur. Ipse S. Augustinus, dum in via erat ab hæresi ad Ecclesiam redeundi, concubinam alteram (priore dimissa) se duxisse fatetur lib. 6. Confess. cap. 13. quod tamen acerbè deflet.

Verùm in his Conscientiæ Matrimoniis sæpe parùm Conscientiæ, at libidinis erat plurimùm, adeò ut jam Tertulliani ævo *occultæ conjunctiones juxta moechiam judicari periclitarentur* h. e. parum à fornicatione abesse crederentur. Hinc concubi-

cubinarii, licet ab Ecclesia non sint proscripti, Sacris tamen Ordinibus indigni habebantur, prout sanxit Canon 7. Apost. *Qui concubinam habuit, non potest esse Episcopus.* Ratio erat, quòd concubinarii ab ecclesiæ foro solennia Nuptiarum, inprimis Copulam Sacerdot. quantum in ipsis, tollerent, & si vel maximè *Conscientiæ*, non tamen *famæ* consulerent, cùm haud vana sit suscipicio concubinam libidinis potius, vel concubitus ergo, unde nomen concubinæ, quam prolis causa duci. Veteres autem Episcopos suos non à crimine tantùm vacare, sed & ita vivere voluerunt, ne qua criminis, libidinis præsertim suspicio in ipsos caderet.

Canonico Jure Concubinatus omnis, cui affectus maritalis deest, rectè prohibitus statuitur Causa 32. qu. 4. Cap. *Dicat aliquis, Vxorem non habeo, ideo ancillam mihi sociavi. Audi, quid dicat Scriptura ad Abraham: Eiice ancillam! &c.* Tandem concludit h. m. *Mulier igitur tua, si talibus moribus prædita est, ut mereatur consortium, mereatur & nomen Vxoris. Præsta concubinæ tuæ libertatem & nomen uxoris, ne tu adulter sis potius, quam maritus*, quæ S. Ambrosii est sententia Serm. de S. Iohanne, cui S. Augustinus consentit Homil. 49. unde apud Gratianum dist. 34. Cap. *Audite* hæc Palea desumta: *Audite Charissimi, fornicari vobis non licet, sufficiant vobis uxores, audiat Deus, si vos surdi estis, audiant angeli, si vos contemnitis. Concubinas vobis habere non licet, etsi non habetis uxores, tamen non licet vobis habere concubinas, quas postea dimittatis & ducatis uxores, quanto magis damnatio vobis erit, si volueritis habere uxores & concubinas.* Civili quidem eoque veteri Romano Iure concubinatus fuit olim permissus, & dictus matrimonium, licet inæquale. Vid. L. unica. Cap. de Concubinis. Sed rectè omnem, extra Nuptialem, concubitum, Leo Imperator tanq. rem pudendam & meræ libidinis exercitium lata Lege sustulit Novella 9. & Novissimo Iure in Recessibus Imperii de

Concubinatus proscriptus.

A uno

Anno 1530 & 1548 & in Reform. Polit. Imperii ut tit. Von leichtfertiger Beywohnung Concubinatus communibus Statuum suffragiis est interdictus.

Interim Studiosi SS. Antiq. cùm in veterum scriptis Concubinatum modò approbari, modò improbari animadverterint, meminerint vocem Concubinæ ὁμωνύμως sumi, semel pro ea, quæ solius explendæ libidinis causa citra maritalem affectum ad tempus ducitur, Talem concubinatum nego in V. E. concessum; dein pro ea, quæ quòd ancilla aut vilis persona esset, sine tabulis, sine scriptura, sine dote, sine arrhis aliisve Nuptialibus solennibus, maritali tamen affectu fuit ducta, ut individua vitæ socia adeoque quasi Uxor, imò vera uxor esset (perinde ut hodie Principes interdum puellas loco inferiori natas sibi copulant an die lincke Hand/ uti vocant) & hunc concubinatum Vetus Ecclesia alicubi permisit. Sed ad alia!

Secundæ Nuptiæ an olim benedictæ.

De Secundis Nuptiis non procul ab initio hujus libelli jam dixi. H. l. expendi convenit, num Secundis Nuptiis Ecclesiastica Benedictio danda sit? Video enim Veteres in hac causa difficiles. Concilium Neocæsareense A. 311. prohibet Presbyterum interesse SECUNDIS NUPTIIS & statuit eas *non benedicendas*. Sed rectè Bellarminus Lib. 1. de Matrim. Cap. 9. *quæcunque*, inquit, *Patrum horum mens fuerit, Concilium fuit particulare*, quod Ecclesiæ non præjudicat. Provocat tamen Bellarminus d. l. ad SS. Ambrosii & Augustini consensum, quorum ille in cap. 7. epist. 1. ad Cor. & in cap. 3. epist. ad Tim. Secundas Nuptias non debere benedici affirmat, sed ipse addit, *sive quicunque sit auctor Commentarii in Epist. Paulinas*. Fatetur sententiam de Secundis Nuptiis non benedicendis ipsi Ambrosio Mediolanensi indubitatò tribui non posse, cum *non sine causa* (quod ait de Script. Eccl.) hæc commentaria Ambrosii

brosii esse negentur. S. Augustini testimonium, quod in rem suam Cardinalis allegat, ex Serm. 243. de Tempore est decerptum, sed meminerit Bellarminus, quod libello de Script. Eccl. ipse censuerit, Homilias de Tempore *non constare*, an sint Augustini. Unde nec certò constat, an Augustinus Secundas Nuptias Benedictione privandas duxerit.

Isidorum quod attinet, seculi (VII) Doctorem, verba ejus in re præsenti *obscura* videntur, quod ut ipse Lector arbitretur, juvat eadem referre: *Secundas Nuptias*, inquit l. 2. de divinis Officiis c. 19. *propter incontinentiam* (parciùs ista!) *jubet Apostolus. Melius enim est uni viro denuo nubere, quam explendæ libidinis causa cum pluribus fornicari. Sæpius autem nubendi licentia, jam non est religionis, sed criminis* (durius hæc dicta hodie nec ipsis pontificiis κατ' ῥητὸν probantur) *Nam quod in ipsa conjunctione connubij à Sacerdote benedicuntur, hoc est à Deo in ipsa PRIMA conjunctione hominis factum. Sic enim scriptum: Fecit Deus hominem ad imaginem Dei, fecit eum masculum & fœminam fecit eos & benedixit eos dicens: Crescite & multiplicamini! Hac ergo similitudine fit nunc in Ecclesia, qua tunc factum est in Paradiso.* Hæc Isidorus. Equidem non video, quomodo sequatur: Benedixit Deus primis in Paaadiso Adami & Evæ Nuptijs. Ergo Secundæ non sunt benedicendæ. Positio sanè unius non statim est alterius remotio, quod vel Logicorum pueri norunt.

Tandem Bellarminus ad Rom. Pontifices, Alexandrum III & Urbanum III se recipit, qui ambo (*Extra* de *Secundis Nuptiis* cap. *Capellanum* & cap. *Vir autem*) Sacerdotes à benedicendis Secundis Nuptiis prohibierunt. Verba Urbani sunt: *Vir autem & mulier ad bigamiam* (ad secunda vota) *transiens à presbytero benedici non debent,*

bent, quia cum semel sint benedicti, benedictio iterari non debet. Epist. ad Vigorn. Episc. Sed uterque post tempora Hildebrandi vel Gregorii VII rerum in Ecclesia Lat. potiti, Alexader III A. D. 1160, Urbanus III A. 1186. ijs seculis vixerunt, quibus Conjugio variè fecit detractum, & Ecclesia plurimis erroribus atque abusibus contaminata. Nihilominus Bellarminus Urbani decretum addita eus ratione probat: *Verissimum est*, inquit h. l. *Secundas Nuptias non benedici, sed causa hujus rei non est, quod Secundæ Nuptiæ careant Sacramento, sed quia Benedictio in Primis Nuptiis data non perit, neque qui semel sunt benedicti iterum indigent benedici*, quasi verò non liceat uti Nuptias sic & Benedictionem iteraro.

Nuptiæ Secundæ benedicendi.

In nostris Ecclesiis Secundæ æque ac Primæ Nuptiæ bene dicuntur, cùm nulla subtrahendæ Benedictionis solida ratio appareat, præsertim cum virgo viduo vel juvenis hactenus ἄγαμος viduæ nubit. Licet enim viduus prioribus Nuptiis sit benedictus, an ideò puella viduo juncta non erit benedicenda? vel licet vidua sit semel benedicta, quid hoc ad cælibem Sponsum? cur huic Ecclesia non benediceret? imo cum vidui connubunt, uti Conjugium tale prorsus NOVUM est, sic & NOVA ijs danda Benedictio? & qui hanc denegant, obliquè SECUNDIS NUPTIIS detrahunt quod Veterum nonnullos fecisse vix in totum negaverim. Alia est ratio Conjugum, qui in causa adulterij vel malitiosæ desertionis separati denuò conciliantur; hi enim de novo non benedicuntur, quia ad pristinum conjugium, cui semel est benedictum, revertuntur. At nos, in tradendis Nuptiarum Vet. Ecclesiæ Ritibus pergamus.

Non solùm COPULA SACERDOTALIS in Orbe Christiano passim per omnia ferè secula in Nuptiis fuit

adhi-

adhibita, sed & variis pro diversitate Nationum ceremoniis investita. In Primitiva Ecclesia Copulæ comes erat OBLATIO, de qua Tertullianus: *Unde sufficiam de enarrandam felicitatem Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, quod OBLATIO CONFIRMAT* lib. 2. ad VI. ad quæ verba Baronius: *Missa insinuat Sacrificium, quod (ut antiqui Rituales libri Ecclesiastici tradunt) in matrimonii confœderatione offerri à Sacerdotibus consuevit. Et quid mirum, si hoc facerent Christiani, cum nec Ethnici sine Sacrificio Nuptias contrahere soliti fuerint? Post verò eisdem contrahentibus à Sacerdote solitam Sacram Eucharistiam (ut etiam nunc fit) impartiri, idem Tertullianus alibi docet, de Monog. c. 11. dum ait: Illi, Sacerdotes videlicet, sic dabunt viros & uxores, quomodo buccellas.* Hæc Baronius, qui ut vides, Nuptialem offerendi ritum, cujus Tertullianus meminit, ad duo (1) ad Missæ *Sacrificium* (2) S. *Eucharistiam* Sponsis datam refert. Sed quoad prius, malè Baronius ex *Oblationibus Veterum* Missæ Sacrificium colligit, cùm hoc ab illis toto, quod dicitur cælo distet, licet non negaverim, germ. Opffern/ à lat. obferre deductum.

De Nuptialibus Veterum Oblatis.

Sacrificium propriè definitur *immolatio animantis, in Dei cultum facta ad ipsius Dei præscriptum*, quæ definitio, si ad *incruentum*, quod vocant, Missæ Sacrificium accommodetur, palam erit, veteres Cristianos in suis Cætibus sive Nuptialibus sive funeribus, sive dominicalibus sive festis Sacra quidem fecisse, quorum pars fuit OBLATIO, sed non sacrificâsse h. e. Christũ non denuo immolasse, id quod inter alios præclare ex SS. Antiqq. ostendit B. Calixtus in Tract. de Sacrificio Christi semel in cruce oblato & initerabili. Oblationes autem in Vet. Eccl. observante Gabr. Albaspinæo Episcopo Aurelian. vocabantur *dona, quæ fideles in conventi-*

ventibus sacris ad altare defererant pauloante, quam Eucharistia consecraretur, quorum aliqua pars fidelibus in usum Sacræ Communionis, reliqua pars in *Agapas* vel victum clericorum cedebat. Hinc S. Cyprianus divitem matronam increpat, quod cum locuples esset, in dominicum sine sacrificio veniret, & partem de sacrificio, quod pauper offerret, sumeret. Lib. de Eleemos.

Hic offerendi mos diu in Ecclesia duravit eumque Synodus Matisconensis II seculo (VI) exeunte confirmavit can. 4. quo decretum, ut *omnibus diebus dominicis altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis, quam vini*, imo seculo adhuc (IX) Amalarius Fortunatus: *Populus*, inquit, *dat oblationes suas i. e. panem & vinum.* Lib. 3. de Offic. Eccl. Ad hunc offerendi ritum (non ad Sacrificium Missæ) Tertullianus h. l. respexit, cum Nuptias OBLATIONE scribit confirmari. De hujusmodi Nupt. Oblati Nicolaum Papam qui eodem cum Amalario Trevir. seculo vixit, locutum existimo, dum ad consulta Bulgarorum respondit: *Sponsus & Sponsa primum in Ecclesiam Domini cum OBLATIONIBVS, quas offerre debent Deo, per Sacerdotis manum statuuntur sicq́; demum Benedictionem & cæleste velamen suscipiunnt*, ut habetur apud Gratianum C. Nostrates. 30. q. 5. Solebant pij Veteres cum Sacra Nuptialia agerent, ad S. Synaxin deferre vel offerre panem & vinum aliaque munera, perinde ut hodie peracta copulatione & Sponsi & Convivæ Nuptiales munusculum altari imponunt, quanquam exigere tamen quicquam pro data Benedictione Alexander III. in Concil. Lateran. III. c. 7. vetuit. Alibi in vicem harum Oblationum Eleemosynæ ex convivio Nuptiali ad pauperes, sive scholares sive alios indigentes, ad nosocomia & Xenodochia mitti solitæ

lite successerunt, quæ consuetudines veterum Oblationibus propius, quàm Missæ Sacrificium accedunt.

Alterum, quod ex Nuptialibus veterum Oblatis Baronius colligit, est de S S. *Eucharistia* Sponsis porrecta. Equidem facilè concesserim pium hunc morem in Nuptiis obtinuisse: in eum enim finem Oblationes panis & vini ad altare fieri solebant, ut ex ijs Eucharistia conficeretur, quod nube testium, siquidem opus, confirmari posset. Itaque consentio de *Oblatis Nuptialibus* Eucharistiam confectam imò hinc puto consuetudinem natam, qua apud nos Sponsi una vel altera hebdomade prius, quam copulantur, ad S. Communionem accedunt & usu S. Eucharistiæ ad imminentes Nnptias sese præparant, ut Deum futuris Nuptiis propitium inveniant. Quid? existimo in V. E. non Sponsos tantum, sed & cæteros v. g. parentes, cognatos, paranymphos aliosque convivas nuptiales consueta munera obtulisse & cum Sponsis de S. Eucharistia communicasse, ut per hanc excitati ferventius pro salute novorum Conjugum comprecarentur. Eucharistia Sponsis data.

Verùm an ex adducto Tertulliani loco de *distributis buccellis* Sponsorum Communio probari possit valde dubito, imo diserte Baronium Cardinalem hac in parte refellit Georg. Ambianates, Monachus Capucinus, Prof. Theol. Paris. in comment. ad l. Tertull. de Monog. c. 11. observ. 1. *Tertullianum* ait, *non probè intellexit Baronius, dum Tomo 1. Annal. 57. §. 349. per buccellas, de quibus hîc Autor agit, Eucharistiæ particulas accipiendas docet. Quamvis enim revera, ipso quoque Tertulliano teste, primi Christiani Eucharistiæ particulas domum ab Ecclesia deferrent & in arca vel armario religiose asservarent, aliæ tamen* Buccellæ in Nuptiis distributæ.

 sunt:

sunt buccellæ, aliæ particulæ. Buccellas igitur Tertull. vocat, panis frustula, quæ in eleemosynam dabant & mendicantibus singulatim porrigebant. Imo vix locus potest aliter intelligi aut ad Eucharistiam contorqueri. Quamvis enim Episcopi presbyteri, diaconi Eucharistiæ particulas fidelibus distribuerint, quis tamen ausit dicere, idem viduis concessum? Atqui de his æque ac istis affirmat Tertullianus. Et illi (presbyteri & vidui) dabunt viros & uxores, sicut buccellas. Viduæ autem viros & uxores olim dederunt dum, causas nuptiales ad Sacerdotes detulerunt. Hæc contra Cardinalem monachus ille Franciscanus.

Faculæ Nuptiales.

Crescentibus seculis alia Solennia Copulæ accesserunt. *Annulum* datum supradixi, cum de *Annulo Sponsali*; item *pronubo* agerem. Jam de *Faculis* ad Nuptias accensis verbo aliquid ex SS. Antiqq. monendum. Usum *Lampadum* in Nuptijs jam Christi ævo receptum elegans Decem Virginum Parabola confirmat, de quibus Servator: *Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ acceptis LAMPADIBVS suis exierunt obviam Sponso; sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumserunt oleum secum. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Veniente Sponso surrexerunt omnes & lampades suas adornarunt* &c. Matt. 35. 1. Videtur mos iste hinc natus, quod priscis seculis pompa Nuptialis *noctu* fere celebraretur. Hinc Varro scribit, *faces* præire nuptas, quod olim *noctu* ducerentur à sponsis, Homero teste Iliad. 6. Hæ *faces pronubæ* erant, & ex igni sub ingressum domus posito, ab ædilibus quinque accendebantur, ac Sponsis ad thalamum euntibus præferebantur; ex una harum *lucerna conjugalis* pervigil pernoxq; futura accendebatur, de quibus Nuptiarum Ritibus vid. Scaliger. l. 3. de re Poet. c. 101.

A Ju-

A Judæis ac gentilibus similis consuetudo ad Christianos transiit, apud quos unus è primis Hesychius A. C. 600. Episcopus Hierosolym. lib. 4. in Levit. *Lampadum in Christianorum Nuptiis usitatarum* meminit. Nicephorus lib. 18. Hist. Eccl. c. 8. *In Nuptiis Mauritii Imperaris refert omnes, qui dignitates & Magistratus gesserint, splendidè coronatos FACES NVPTIALES accendisse conventumque sponsalitium hymnis ac carminibus celebrasse.* Habitæ sunt hæ Nuptiæ A. C. juxta æram Dionys. 586. ut proinde seculis abhinc ferè undecim faculas in Nuptiis Christiani accenderint, idemque mos in Nuptiis solennioribus adhuc obtinet, quoties Sponsa virgo ad Templum deducitur. Nostri vocant Braut-Fackeln / de quibus idem merito dixerim, quod de funerum facculis S. Chrysostomus homil. 4. in C. 2. ad Hebr. *Dic mihi, quid sibi volunt istæ lampades tam splendidæ? nonne sicut athletas* Sponsos (ipse *mortuos* ait) *comitamur? quid etiam hymni? annon ut Deum glorificemus?* Sunt nim. hæ faces, *rutilante* etiam *Sole*, accensæ signa non publicæ tantum lætitiæ, sed & victoriæ de virginitate hactenus conservata. Hinc *viduis* non præferuntur.

Sed quia jucundum est nec suo caret fructu notitia variorum Rituum, quibus Christiani in dissitis regionibus Nuptias agunt (apud hos enim multa sæpe SS. Antiqq. vestigia reperire est) in gratiam B. L. exterarum, christiano tamen nomine illustrium nationum mores ac ritus nuptiales inseremus.

In hoc censu primas tenent Græci, qui quo ritu Nuptias celebrent, venustè licet *strictim*, commemorat Metrophanes Critopulus, origine græcus imo Patriarcha Alexandrinus, qui annis abhinc (36) in Acad. Julia Commoratus *Confessionem Catholicæ & Apostolicæ in Oriente Ecclesiæ* Nuptiæ Græcorum

clesiæ ex græcia huc misit, hoc ipso anno apud nos latinitate donatam in qua Cap. 12. περὶ τοῦ γάμου de Nuptiis Græcorum ait: *Despondendos Ecclesia conjugali COPVLA invicem (si tamen prius se sponte sua conjugium subire velle confessi fuerint idque mutuo OSCVLO confirmaverint) conjungit per PRECES & supplicationes ad Deum, quæ memoriam conjugij primorum Parentum continent, Adami videlicet & Evæ, Abrahami & Saræ, Isaaci & Rebeccæ, Iacobi & Leæ aliorumque, qui legitimo conjugio conspicui fuere sanctorum. Deinde preces supplices fundit ad Deum, ut novis sponsis BENEDICAT & charitatem mutuam eamque perpetuam & indissolubilem largiatur, nec non fructum ventris favore suo imbutum adeoq; Deo & Ecclesia dignum futurum ex gratia donet. Postea presbyter illis invicem ANNVLOS in manus tradit, sponsi quidem annulum sponsæ, ad sponsæ annulum dat sponso. Mox dextris inter se junctis CORONAS è plantis perpetuo virentibus ipsorum capitibus imponit. Tandem vero POCVLVM VINI vulgaris ipsis porrigit, unde ubi aliquantulum hauserunt, domum sese conferunt ritu Nuptiali jam finito.*

Subjungit d. l. Metrophanes, quid his ritibus allegoricè denotetur: *Annulos*, inquit, *propterea induunt, ut significetur alterum alteri semetipsum in manus quasi tradere & neutrum deinceps in sua solius potestate esse, sed alterum in alterius, dicente Apostolo: Maritus proprij corporis jus non habet, sed uxor; similiter & uxor proprij corporis jus non habet, sed maritus. MANVVM autem conjunctio indissolubilem ipsorum & perpetuum conjunctionem testatur. SERTORVM porro distributio, tanquam præmium victoriæ est, quod ipsis Ecclesia suppeditat, eo quod detestati furtivas nuptias, videlicet scortationem & promiscuos concubitus, optimum duxerint, ut unus uni secundum voluntatem Dei copuletur*

retur. VINUM autem lætitiam indicat, quam Ecclesia ipsis à Deo precatur. In multis enim Scripturæ locis vinum allegoricè de lætitia accipitur: Et vinum lætificat cor hominis. Post illa manent ab invicem inseparabiles, nec ulla ratione dirimi possunt, nisi ἐπὶ λόγῳ πορνείας κατὰ τὸ εὐαγγέλιον. *Adest quoque* Νυμφαγωγὸς *dux Sponsæ apprehendens CORONAS verticibus novorum Sponsorum impositas, qui sponsæ dux utplurimum est primogeniti sponsor, qui illum è sacro baptismate suscepit. Sciendum etiam est, quod despondendi ante Nuptias sese mutuo apud nos nunquam videant. Componuntur autem pacta sponsalitia per Parentes & Paranymphum seu ducem Sponsæ. Et verò tanta affectionis conjunctio ipsis inseritur, ut quis citius suam ipsius, quam alterius mortem eligat. Insuper nec hoc ignorandum, Ecclesiam catholicam ad secundas & tertias usque nuptias condescendere, quartas verò habere.* Hæc de Nuptiis Græcorum Græcus ille ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τῆς Ἀνατολικῆς ἐκκλησίας, ubi circa id, quod ait *tertias* quoque Nuptias in Græcia hodie concedi, observo olim hac in parte difficiles græcos fuisse: Refert enim Zonaras Tom. 3. quod Sacerdos quidam ἱεροτελεστίαν γαμικὴν in Nuptiis Constantini & Zoes Imperatricis peregerit, quam Patriarcha ob TERTIAS NUPTIAS detrectaverit.

Nuptiæ Abassinorum.

De Abassinis, Christianis sub Rege potentissimo, Prestegiano h.e. *Apostolico*, hodiè corruptè Presbytero Iohanne dicto, unter Priester Johan/deq; eorum Nuptiis Franciscus Alvarez (qui in prooemio Itinerarij per *animam suam* jurat, se nihil falsi Historiæ suæ immiscere) in linguam nobis vernaculam conversus hæc narrat: Ich hab in Ethiopien bey den Abassinern viel Hochzeiten sehen machen und bin selbst dabey gewesen/das Braut und Breutigam folgender gestalt zusammen gegeben. Sie richten vor dem Hause im Hoffe ein Bette auff/darin setzt sich Braut und Bräutigam/dann kommen drey Priester und singen überlaut; Alleluja! und gehen mit etlichen gesängen drey-

mal umbs bette/ hernach schneiden sie dem Bräutigam ein Lock Haar vom Kopff/ deßgleichen auch der Braut eben an dem Ort/ wie dem Bräutigam/ und waschen dis Haar in Wein von Honig und legen des Bräutigams Haar auff der Braut Kopff und der Braut Haar auff des Bräutigams Haupt eben in die zuvor ausgeschnittene lücken und sprengen Weihwasser darüber/ alsdann hebt sich die Frölig keit und Hochzeit an/ die wäret bis in die Nacht/ so werden Braut und Bräutigam in jhr Hauß begleitet/ alßdann darf im gantzen Monat kein Mensch in das Hauß gehen ohne der Braut Gevatter/ der bleibt einen Monat bey jhnen. Jst die Fraw ein wenig höher Standes darff sie in fünf oder sechs Monat nicht aus dem Hause gehen und mus stets ein schwartz Tuch über dem Angesicht tragen/ wo sie nicht jnnerhalb der Zeit schwanger wird. Jch hab auch gesehen dz Abuna Marco, jhr Patriarch etliche in der Kirchen folgender gestalt eingesegnet: Vor der Kirchen ward ein Bette aufgerichtet / darauff sassen Braut und Bräutigam / der Patriarch gieng mit Räuchfässern und mit Creutzen rings herumb/ wandte sich drauff zum Bräutigam / legte jhm die Hand auff den Kopff und befahl jhm/ Gottes Gebot im Evangelio zu halten/ und zu gedencken/ daß sie hinfort nicht zween/ sondern beyde ein Leib und Fleisch weren/ solten sich demnach wol vertragen/ er blieb auch so lange bey jhnen stehen bis der Gottesdienst verrichtet/ darauff gab er jhnen die H. Communion und sprach den Segen über sie. Hæc de Abassinorum Copula Nuptiali, quam tamen levi sæpe de causa rescindi & Conjugia temere dissolvi, ibidem conqueritur Autor Cap. 20. & 21.

Nuptiæ Russorum vel Muscovitarum.

Paulo pleniùs Christianorum in Russia vel Muscovia Nuptias jam supra laudatus Olearius in Itinerario Moscovi-o Persico lib. 3. cap. 8. describit h. m. Die Russen oder Muscoviter und zwar die Kneesen oder Fürsten auch Bojaren und deren Kinder halten jhre **Hochzeiten** und **Heimführung** folgender Gestalt. Es werden zwey Weiber/ eine von der Braut/ die an-

dere

dere vom Bräutigam verordnet/ welche im Hochzeit Hause eins und das andere anordnen/ die werde Swache/ sind so viel als **Schafferrinnen**/genennet/der Braut Swache gehet den Hochzeit Tag hin/und bereitet des **Brautbette**/mit jhr gehen bey die hundert Diener/deren jedlicher etwas/so zum Brautbette und Zierat der Brautkammer gehöret/auff dem Kopff träget/das Brautbette wird bereitet auff vierzig neben und in einander geschichtete Rockengarben/welche der Bräntigam den vorigen Tag hat legen lassen/dabeneben etliche tonnen Weitzen/Gersten/Habern/sol bedeuten/ dz sie in jhrem Ehestande überflüssige Lebensmittel werden haben. Auff den späten Abend begibt sich der Bräutigam mit seiner gantzen Freundschafft in der Brauthaus und hat den **Popen** (den Priester) der sie trawen sol/ vor jhm her reitend. Der Braut Freunde stehen beysammen vnd empfangen den Bräutigam mit den seinigen freundlich/des Bräutigambs nechste Freunde werden zur Taffel genötiget/auff welcher 3. Essen stehen/davon aber niemand isset. Oben an der Taffel wird für den Bräutigam weil er etwas stehen bleibt und sich mit der Braut Freunden bespricht eine Stelle gelassen/in welcher sich ein Knabe setzt/den der Bräutigam mit verehrung muß heraus bringen. Wann der Bräutigam sich gesetzet/wird die Braut verkappet mit prächtigen Kleidern jhm an die Seite gebracht vnd damit **keins das andere ansehen kan/wird zwischen beyden rohter Tafft gezogen vnd von zween Knaben gehalten**/ darauff kompt der Braut Swacha/ kämmet der Braut Haar/ so zu felde geschlagen/ vnd flichtet sie in zween Zöpffe/ sezet jhr eine Krone neben andern Zierat auff/ vnd lest sie also am Gesicht blos sitzen — die Swache kämmet auch den Bräutigam/ vnterdes tretten die Weiber auff die Bänck vnd singen allerhand Possen. Nach diesem kommen zween junge Gesellen schön angethan/ bringen auff einer Tragen einen grossen Käse und etliche Brot/ der Pope oder Priester se-

 gnet

gnet sie/den Käse vnd das Brot/welches hernach mit zur Kirchen getragen wird/darauff wird eine grosse silberne Schüssel/ in welcher viereckte stücklein Atlas/Tafft Silber/auch Hopffen/Habern Gersten durch einander gemischet auff die Taffel gesetzet/ dann kompt ein Swacha / decket die Braut wieder zu/ vnd bestrewet auß der Schüssel alles mannsvolck/wer wil/mag stücklein Atlas vnd Silber aufflesen/ vnter des wird ein Lied gesungen. Darauff steht der Braut vnd des Bräutigams Vater auff vnd verwechseln der jungen Eheleute Ringe. Nach solchen Ceremonien nimbt die Swacha die Braut/setzt sie in einen Schlitten/vnd bringet sie verdeckt zur Kirchen. Der Bräutigam folget alsofort mit seinen Freunden vnd dem Popen oder Priester/der bißweilen das Hochzeit getränck alsdann schon so sehr gekostet/daß man jhn/ damit er nicht vom Pferd stürtze/ auff beyden seiten halten muß. In der Kirchen ist ein gut Theil des Pflasters/wo die Trawung geschiehet mit rothem Tafft bedecket/worauff Braut vnd Bräutigam tretten. Wann nun die Trawung sol angehen/ läst jhm der Pope erst opffern/welches seind Pyrogen/gebackens und Pasteten. Dañ werden Braut vnd Bräutigam grosse Bilder auff die Köpffe gehalten vnd eingesegnet also: Der Pope nimbt des Bräutigams rechte vnd der Braut lincke Hand in seine beyde Hände/fragt sie dreymal/ ob sie einander haben vnd sich wol miteinander begehen wollen? Wann sie das Jawort gegeben / führet er sie also in einem Creis herumb/vnd singet den 128. Psalm/welchen sie als tantzend jhm stückweis nachsingen. Nach dem Tantz setzt er jhnen schöne Kräntze auffs Häupt. Seind sie aber Witwer oder Wetwe/werden die Kräntze auff die Schultern gesezt/ dann spricht der Pope: Wachset uñ mehret euch/ uñ gibt sie zusammen mit diesen worten:

Was Gott zusammen füget/sol kein Mensche scheiden

Unterdes zünden alle Hochzeitgäste/ die in der Kirchen sind/kleine Wachslichter an vnd reichen dem Popen eine vergüldete Schale oder Glas mit rohtem Wein/ aus welchem er in der Kirchen den

jungen

jungen Eheleuten zutrincket/deren jeder mit dreymal austrincken bescheid thut. Dann wirfft der Bräutigam das Glas zur Erden und tritt es mit der Braut auff kleine Stücke mit diesen Worten: **So müssen alle / die zwischen vns Feindschafft vnd Streit zuerwecken gedencken / vor vnsere Füsse fallen vnd zutretten werden!** Darauff strewen die Weiber Lein und Hanffsat auff sie und wünschen jhnen Glück/ ziehen auch an der Braut/als wolten sie dieselbe entführen. Aber Braut vnd Bräutigam halten fest an einader —— Wann sie nun wieder zum Hochzeithaus kommen/setzen sich die Gäste neben dem Bräutigam zu Tisch/ essen/ trincken/ machen sich lustig/die Braut aber wird alsbald / biß auffs Hemd abgekleidet vnd ins Bette gelegt. Wann der Bräutigam ein wenig gegessen/ wird er auff zur Braut gefordert/vor jhm her gehen sechs oder achte Knaben mit brennenden Fackeln etc.

Dum ad amæna hæc Nuptiarum solennia deferor, recensitis Græcorum, Muscovitarum & Abassinorum Nuptijs Armeniorum quoque nuptias ex eodem Autore subnectemus, qui rem sibi visam l. 4. Historiæ suæ cap. 40. Von der Armenier Hochzeit / Tauff vnd Abendmahl his formalibus enarrat: In dem ich sahe/daß die Armenier in der Vorstad/ vor Ispahan in Persien einen Bräutigam zur Kirchen führten/bin ich nachgangen vnd habe solche Ceremonien mit angesehen. Es wurden Heerpaucken vñ messinge Cymbeln vorher gespielt/denen folgte ein Knabe mit brennendem Wachslicht/darauff kam der Bräutigam in schönen bundten Kleidern zwischen zween auch köstlich angekleideten Personen geritten/ denen zwey andere Paar folgeten/hinter her wurden etliche Schüsseln vol Essen/vnd zween Krüge mit Wein/auch zwo grosse Schüsseln mit äpffeln getragen. Als sie in die Kirche kamen/sätzte sich d' Bräutigam mit seinen Gästen. Jhnen wurden die Essen vnd Früchte vorgesetzet/davon die Gäste ein wenig/der Bräutigam aber gar nichts genos. Es sol dem Prie- Nuptiæ Armeniorum

 ster

ster hernach zum Opffer werden. Vom Wein aber wurde herumb getruncken — In dem kam die Braut verkapt zwischen einem auch verkapten Mägdlein vnd Frawen/ über die beyden angehenden Eheleute/ wurde vom Priester vorm Altar gar lange gelesen vnd der Segen gesprochen. Dann musten sie einander die Hände geben vnd die Köpffe an einander halten/ doch so/ daß des Mannes Kopf höher stund/ über beyde wurd ein höltzern Creutz gehalten und sie also vnter dem Creutz copuliret. In solcher positur musten sie schweren / daß sie in allem Creutz ein dem andern wolten getrew vnd hold seyn/ hernach gab jhnen der Priester das heilige Abendmahl vnd reichte jedem ein Stück von der gesegneten Hosti im gesegneten Wein eindaucht. Hæc de Nuptijs Armeniorum. Ex hac recensione, qua Nuptias apud exteros Christianos, nempe Græcos, Abassinos; Russos, Armenios è fide dignis scriptoribus iisque omnibus αὐτόπταις sum complexus, Benevolus Lector ἐν συνόψει καὶ ὡς ἐν ἐπιτομῇ Nuptias exterorum non solum cum nostris, sed & cum antiquis in plerisque convenire agnoscet, imò certior jam erit, Ritum *Copulæ Sacerdotalis* hodie *Oecumenicum* h. e. per universam Ecclesiam, Latinam & Græcam á Solis ortu usque ad occasum receptam esse.

De Convivio Nuptiali V. Christianorum

Nos à copula Sacerd. ad Veterum Convivia Nuptialia pergamus. In SS. Servator ipse (de quo S. Ignatius Martyr: *Mihi Iesus Christus pro archivis est*) convivio Nuptiali Canæ in Galilæa cum matre & discipulis interfuit adeoque hospitem nuptialem egit, quas Nuptias in opusculi hujus frontispicio collocavi; quin & *Regnum cælorum Epulo nuptiali* comparavit: *Simile*, inquit, *Regnum cœlorum est Regi, qui Nuptias filio apparavit, & misit servos vocare invitatos ad Nuptias; qui cũ venire abnuerent, alios misit dicens: Dicite invitatis, ecce, prandium meũ paravi, tauri mei & pecora saginata occisa sunt & omnia parata. Adeste ad Nuptias!* Vnde patet, quis & quantus jã Christi ævo

ſti ævo fuerit Nuptiarum apparatus. Matt. 22;1. Inter Eccleſiæ Doctores unus è primis Nuptiarum convivia allegat inq; iis veteres pernoctaſſe indicat Dionyſius Alexandriæ circa medium ſeculi (III) Epiſcopus, data ad Germanum, Epiſt. quam Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 39. nobis aſſervavit: *Fit ex agro obviam aliquis* (ait) *Timotheo fugienti ac perturbato, cauſamque, cur ita feſtinaret? percontatur. Hic quod res erat edicit. Ille cum audiſſet, AD NUPTIARUM CONVIVIA, quo aliàs ibat, iter ſuum proſequitur (erat enim illis mos in hujusmodi conviviis pernoctare) & ubi illuc venit in convivio accumbentibus, quod audierat, denunciat.* H. l. Vir ſanctiſſimus & in primitiva Eccleſia celeberrimus convivij quidem nuptialis, verùm ab *Ethnicis* acti meminit. Addit enim, quod cum hoſpites in Nuptijs fugam S. Dionyſij, ejusque comitum audijſſent, agmine facto in Chriſtianos irruerint, & ſe (Dionyſium) petijſſe, ut capite truncaretur. At nos jam veterum *Chriſtianorum* nuptiales epulas indagamus. Equidem exiſtimo martyrum ævo ob perpetuas perſecutiones *anguſta* & *occulta*, ſi qua fuerint, Nuptiarum convivia fuiſſe: neque enim talis erat ſtatus, ut *vox Sponſi ac Sponſæ* in publico tuta eſſet. Hinc nemo mirabitur convivij in Chriſtianorum Nuptiis peracti mentionem primos Eccleſiæ ſcriptores parciùs, imò vix uſpiam meminiſſe. Ineunte ſeculo IV Synodus Neocæſareenſis Presbyteros *Convivio in ſecundis Nuptiis* intereſſe vetuit, quæ prohibitio convivia Nuptialia V. E. fuiſſe demonſtrat.

Pace reddita, primus Chriſtiani nominis Imperator Conſtantinus M. A. C. 313 Licinio Mediolanum vocato Conſtantiam ſororem uxorem dedit. *Ad Nuptiarum feſta vocatus Diocletianus per ſenectutem quo minus intereſſe valeret, ſe excuſavit, ſed reſcriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur, quod Maxentio Tyranno faviſſet, metu ignominiæ venenum hauſit*, auctore Zoſimo lib. 2. Hiſtoriæ. Itaque Principes ſe invicem

ad

ad ſuas ſuorumque Nuptias ſolenniter invitarunt, licet in fide ac religione diſſentirent. De eodem (Conſtantino M.) Euſebius in Vita ejus lib. 4 c. 48. luculentus teſtis eſt, quàm ſplendidas Nuptias filio ſecundo genito apparaverit: *Confecto*, ait, *tricesimo imperij anno, cum multo ante natu majorem in matrimonio collocaſſet, filio ſecundo Nuptias apparabat, in quibus cum omnium applauſu celebrata ſunt CONVIVIA, Imperator ipſe Sponſum filium manu deduxit & CONVIVIUM ſplendidè & βασιλικῶς inſtruxit, cumq; ſeorſim virorum cœtus, ſeorſim mulierum choros locaſſet, univerſos & populos & civitates ſatis largè ac lautè muneribus affecit*, unde magnates in Nuptiis munificentiam ſuam ac regias opes (uti nunc, ſic &) olim ſubditis propalaſſe patet. Gregor. Turonenſis lib. 4. hiſt. Francicæ c. 46. nuptias Sigeberti Francorum Regis deſcribit, eaſque SUMTUOSIS EPULIS *& ingenti lætitia celebratas* ait. Itaque ſumtibus nullis in Nuptiarum συνδείπνοις veteres pepercerunt.

Idem Convivij Nuptialis mos per ſecula traductus eſt. A. C. 1225. Henricus, Filius Friderici II cum Margareta Ducis Auſtriæ filia Nuptias Noribergæ ingenti pompa & ſolennitate celebravit, præſentibus Principum plurimis, fuitque *tantus hominum concurſus, ut in plateis ac domibus multitudo hominum innumera videretur. In palatio, ubi celebrabantur Nuptiæ, tantus erat hominum numerus, ut præ multitudine gradus ipſi, quibus ad palatium aſcendebatur, frangerentur & plus minus ſeptuaginta homines opprimerentur*, quod narrat Nauclerus Vol. 2. Gen. 41. Sed in Hiſtoriis Cæſarum, Regum ac Principum exempla τῶν γαμικῶν δείπνων obvia ſunt paſſim. Non ergò eſt, quod iis immoremur. Ævo S. Chryſoſtomi h. e. circa confinia ſeculi IV & V *Epulas* in Nuptijs inſtructas & invitatos *venerabiles viros, honoratas matronas, pudicas virgines, mundiori etiam veſtitu* convivas apparuiſſe, ne cui illud Chriſti diceretur; *Amice, quomodo intraſti non habens veſtem nuptialẽ?* idem aurei oris Doctorum

ctorem cap. 4. Epist. ad Coloss. affirmat; sed & luxum Nuptijs invectum d. l. vituperat. Præsertim morem *invitandi meretrices ad Convivia Nuptialia*, puta, quod *scorta* ad exhilarandos hospites adduxerint, quod cum animæ periculo *infidelibus* se conjunxerint, quod in ducenda uxore ad *divitias* potius aut *formam*, quàm ad probitatem respexerint, aliaque his similia graviter taxat & addit: *Licet aliis modis exhilarare Nuptias, utpote lautis mensis & copiosis vestimentis. Hæc non amputo, ne nimis agrestis videar. Omnia tamen temperantiæ & modestiæ, gravitatis & honestatis plena esse oportet.* Notent hoc dictum ad Nuptias ituri omnes, ut virtutes Hospite Nuptiali dignas decenter exprimant, quales sunt *Temperantia* h. e. Sobrietas & Castimonia; *Modestia* h. e. frugalitas in victu, humilitas investitu, etsi *lautior* quotidiano *victus*, & *mundior* solito *vestitus* in Nuptijs, (ut rectè judicat Vir Sanctus) Deo non sit adversus; *Gravitas* in verbis juxta illud Apostoli: Lasset kein faul Geschwätz aus ewrem Munde gehen Eph. 4., 29. & denique *Honestas* h. e. Civilitas morum, ut in omni, nuptiali præsertim convictu τὸ πρέπον h. e. decorum observes. Ita Convivas Nuptiales Doctor ille aureus dudum informavit.

Ab adeundis Nuptiarum Convivijs in Vet. Ecclesia *Clericos & Monachos* prohibitos invenio. Concilium Agathense c. 39. *Presbyteri*, inquit, *Diaconi, Subdiaconi vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia modò non est; etiam aliarum NUPTIARUM EVITENT CONVIVIA, nec his cœtibus misceantur, ubi amatoria canuntur & turpia aut obscœni motus corporum Choreis & saltationibus efferuntur, ne auditus & obtutus sacris ministeriis deputati turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.* Habita est hæc Synodus ineunte seculo sexto Agathæ in

Presbyteris Convivia Nupt. interdicta.

P opido

opido Galliæ Narbonensis, sub Rege Gothorum Alarico, præside Cæsario Arelatensi. Huic successit Concilium Antisiodorense seculi septimi A. 15. actum cujus can. 24. *Non licet Abbati nec monacho ad Nuptias ambulare.* Habitum est à Clodoveo, primo Francorum Rege Christiano; quod & in Concilio Venetico fuit repetitum can. 11.

Paulo mitior est Synodus Aquisgranensis nono seculo sub Ludovico Pio intra Germaniam coacta: Hæc enim religiosis accessum ad Nuptias permittit, sed *tempestivè* eos surgere & domum reverti jubet, can. 83. *Non oportet Sacerdotes aut Clericos quibuscunque Spectaculis in scenis aut in Nuptiis interesse sed antequam thymelici ingrediantur, exsurgere eos convenit & inde discedere.* Thymelici erant gesticulatores, qui in pulpito orchestræ (quod *thymelen* vocabant) fabulæ agendæ subserviebant & histrionibus in scena abditis, populum variis jocis ac nugis ad cachinnos provocabant. Hodie in Nuptiis instar thymeles habet locus, in quo *choreæ* peraguntur, der Tantzplatz / & thymelicis tibicines puto surrogatos, qui hospites & spectatores vario cantu ac lusu delectant. Fuerit itaque tempus abeundi è Nuptiis, antequam thymelici ingrediantur h. e. nostro loquendi more, ehe der Tantz angehet. Ita Aquisgranenses.

Ex his conciliorum Canonibus non solùm Convivia Nuptiarum apud Germanos, Gallos, Italos, inprimis venetas, & Hispanos à pluribus seculis recepta, sed & insignis illa & exemplaris morum gravitas, qua prisci Religiosos, Clericos & Monachos eminere voluerunt, jam denuo constat. Neque enim hæc Veteris Ecclesiæ statuta indicant, Patres pro peccato reputasse, si quis Nuptiali convivio interesset. Absit! id enim facto

ipsius

ipſius Chriſti, qui convivio Nuptiali Canæ in Galilæa cum familia coràm, donec vinum deficeret, adfuit & praxi Patriarcharum, Apoſtolorum aliorumque Deo dilectorum, imò & doctrinæ Chriſti Luc. 14, 9. *Cum invitatus fuerit ad Nuptias, vade!* è diametro foret adverſum. Sanè ſi illa mens SS. Patrum fuiſſet, epulas nuptiales Laicis æquè ac Cleris prohibere debuiſſent: Laicos enim non minus ac clericos à peccatis ſibi cavere oportet. Verùm cùm in Nuptiis ſæpe ludicra, joci liberaliores, res amatoriæ, tumultus, vociferationes, inconditi clamores, occaſiones libidinum, aliæque vanitates & juveniles ineptiæ occurrant, quas qui contuetur, facile implicatur, vel dum tacet, approbare aut delectari talibus cenſetur, hæc demum ratio pios Veteres induxit, ut Clerum ſuum à Sympoſiis Nuptiarum avocarent, ne ſcil. ſacri Ordinis autoritas & exemplaris vita levitatibus ac vanitatibus in Nuptijs macularetur. Notum eſt, *Nimiam familiaritatem parere contemtum.* Interim è dignitate Nuptiarum cenſeo, ut vocati ad Nuptias Clerici, exemplo Chriſti compareant, ſed nec diſplicet conſilium PP. Aquiſgranenſium, ut maturè adeoque inter primos ſurgant, ac ſobrijè convivio diſcedant.

Muſicos in Nuptiis Veterum fuiſſe Auctor eſt Apponius, vir doctus A. C. 812. qui in Commentariolo ſuper Canticum Salomoneum lib. 1. in Nuptjis ait fuiſſe, qui *modulamine dulci potentiam Sponſi & pulcritudinem Sponſæ collaudaverint.* Duobus ante hunc Cantici interpretem ſeculis Mauritius Cæſar (A. 586) vixit, cujus Nuptias HYMNIS & CARMINIBVS ſolennes Nicephorus commendat lib. 18. Hiſt. Eccl. cap. 8. *Scholares* quoque ad Nuptias vocatos eosque carmen cantare ſolitos in laudem ſponſi & ſponſæ, primus nobis retu- De Muſica Nuptiali, vivo voce.

 lit, S.

lit, S. Remigius Antiſiodorenſis A. C. 890. inſignis Scholarum ſui ævi inſpector Comment. in Pſ. 44. unde ſine dubio natus mos in Nuptijs hodiernis, quo pueri è ſchola vel Chorus muſicus (die Cantorey) ſonora Nuptiali muſica non tam ſponſorum, quàm DEI Opt. Max. cujus auſpicijs Sponſi copulati, laudes ac gloriam aliosque è ſacro codice textus matrimoniales cum Præce Dominica decantant eoque ad devotionem hoſpites inflammant. Hos, quos dixi, omnes ut antiquitate, ſic & auctoritate excellit D. Ambroſius, qui de CANTU NUPTIALI Serm. 25. *Solent*, ait, *homines in votis, h. e. in Nuptiis præcipuè ſaltare & CANERE, unde & nos habemus votivas Nuptias, in quibus ſaltare vel CANERE debemus* (ſingen und ſpringen) &c. Myſtica ſunt, quæ ſequuntur.

De Muſica Inſtrumentali in Nuptiis.

Nec porro ſola vocalis, ſed & *inſtrumentalis* muſica in Nuptijs Chriſtianorum jamdudum audita. *Cymbala & tibias*, quibus cantilenæ & choreæ commixtæ, jam in ſuorum temporum Nuptiis S. Chryſoſtomus Homil. 41. in Acta agnovit. Quam varia organa muſica in Nuptiis Alexandri Regis Scotorum domum ducentis Margaretam filiam Regis Angliæ præſto fuerint, ampliſſime recenſet Hector Boëtius h. m. *Nihil in Nuptijs*, inquit, *quod ad lætitiam ſpectaret deerat; quicunque muſices aut pſallendi aut alicujus INSTRUMENTI pulſandi, quod hilaritatem adferret, periti erant, eo aut vocati, aut ultrò concurrebant. Plena erat regia ſaltantium canentium, pſallentiumque turba, alii choreis operam dabant, pars, quibus animus dictabat, epulis vacabat. Nullus ibi luctus ſollicitudo erat nulla, vinum abundè diluebat curas omnes. Soluti prorſus omnes, voluptatibus animi, oculorum, ventris dediti erant, ut pro ſua quiſque virili REGIAS NUPTIAS condeco-*

rarent

rarent. Hæc Boetius lib. 3. Hist. Scotorum, è quibus perspicuum est, quanta apud antiquos dum nuberent, Musicæ dignitas fuerit, quanta gratia, adeo ut quo plura canendi & pulsandi instrumenta adessent, eo hilariores, dulciores, solenniores Nuptias æstimarent. Quæ & qualis Musica Veterum Christianorum, Ebræorum, Gentilium olim fuerit satis peritè exposuit Mich. Prætorius, Capellæ Principalis Guelpherbyti olim Magister Tomo 1. Syntagmatis Musici, cujus pars prior sectione IV. de *Musica Instrumentali Vet. Ecclesiæ*; & pars posterior περὶ τῶν ὕμνων γαμικῶν, de Veterum Hymenæo, Epithalamijs, Thalassio ac reliquo Cantu Nuptiali pag. 272. haud ineptè agit.

Præter ista non est recens consuetudo componendi *Carmina Nuptialia*, eaque novis Sponsis boni ominis ergo offerendi. Elegans Exemplum Heroici Carminis in Honorij Imperatoris Nuptias circa A. C. 398. Claudianus Poëta in Historia Stiliconis (cujus filia Honorio erat desponsata) præbet. Initia sunt ista: Carmina Nuptialia Veterum.

Continuant Superi pleno Romana favore
Gaudia successusq; novis successibus augent.
Conjugij nondum festivos Regia cantus
Sopierat, cecinit fuso Gildone triumphos
Dum calidis thalamis successit laurea sertis,
Sumeret ut pariter Princeps nomenque mariti
Victorisque decus —— ——

Gratulatur Claudianus Cæsari de gemino honore, semel de victoria à Gildone relata, dein ob causam Nuptialem; Paulo post lyram Nuptialem iterum pulsans ita ludit:

Cum tibi protulerit festas mox pronuba tedas,
Quæ tali devota thoro? quæ murice fulgens
Ibit in amplexus, tanti Regina mariti?

 O mihi

O mihi si liceat thalamis intendere CARMEN
CONNVDIALE tuis!

Ita jam quarto seculo *Carmina Connubialia*, quæ Claudianus vocat, sunt confecta.

Post illa eundem in Nuptijs morem conservatum ex paulo ante, de Musica Nuptiali, dictis est manifestum. Ex apponino enim & Remigio ostendimus *Carmina & laudes Sponsorum decantatas*. Vnde tria discimus (1) Carmina honoribus Nuptiarum priscis seculis dicata (2) eadem *præcisè* ad p. t. Sponsos eorumque mores, virtutes, studia, dotes animi & corporis accommodata (3) eadem ad concentum musicum vel certam *melodiam* redacta & postea publice cantata ut laudes novorum conjugum palam singuli exaudirent.

De Nuptiarum CHOREIS.

Convivij Nuptialis appendix solent esse CHOREÆ; de quibus Patres plerique, fateor, sinistrè sentiunt, ut dubitem, an in tota SS. Patrum Corona vel unus produci queat, qui Choreas laudaverit. Interim usitatas fuisse certum est, quod Patres sæpissimè in eas invehantur, id quod paucorum testimonijs asseremus. S. Ambrosius lib. 3. de Virginibus: *Intuta est verecundia, & suspecta illecebra, ubi comes delitiarum est extrema saltatio. Ab hac Virgines Dei procul esse desidero. Nemo enim, ut dixit quidam secularium Doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit. Quod si juxta sapientiam secularem saltationis aut temulentia autor est aut dementia, quid divinarum Scripturarum cautum putamus exemplis, cum Iohannes Christi prænuncius saltatricis opinione jugulatus exemplo sit plus nocuisse saltationis illecebram, quam sacrilegii furoris amentiam? Quid ibi verecundiæ esse potest, ubi saltatur, strepitur, concrepatur? ---- Saltet, sed adulteræ filia. Quæ vero pudica, quæ casta est, filias suas religionem doceat, non saltationem.*

S. Au-

S. Augustinus conc. 1. in ps. 32. *melius* putat *toto Sabbato agrum fodere quam saltare*; quin & hoc edictum tribuunt; *Quilibet saltus in chorea est saltus in profundum inferni*, cui suppar illud Guillermi in Evang. Domin. Septuag. *Omnis motus petulantiæ est saltus in profundum cloacæ.* In Laodiceno Concilio, cujus canones in codicem canonum universæ ecclesiæ sunt recepti, circa A. C. 364. decretum est: *Non oportet Christianos ad NUPTIAS euntes plaudere vel SALTARE, sed venerabiliter cœnare vel prandere, sicut Christianos decet*, quod decretum in Concilio Verdensi iteratum. S. Chrysostomus, qua fuit severitate, Choreas *diabolicas* vocat Homil. 56. in Gen. & *diabolum una cum chorizantibus saltare* dicit Homil. 49. in c. 14. Matth. ubi caput Johannis Baptistæ *pretium meretriciæ choreæ* vocat & exclamat: *O diabolicum Convivium! ô Satanæ spectaculum! ô iniquum tripudium & mercedem multo iniquiorem! Audiatis hæc virgines, imo etiam nuptæ, quæ in Nuptiis saltare & tripudiare eoque communem fœminarum sexum deturpare non veremini.*

Nec benigniùs è neotericis de CHOREIS plurimi sentiunt. Wilhelmo Lugdunensi Chorea definitur *circulus, cujus centrum sit diabolus, à quo omnes* sive virgines sive uxores *sinistra manu in signum malitiæ ducantur.* Addidit non nemo: Centri hujus peripheriam esse omnes *Satanæ angelos.* Friderici III. commune de Choreis dicterium erat, *febricitare se malle, quàm semel saltare.* Alfonsus Siciliæ Rex Gallos *leves* putabat, quod *Choreis plurimum indulgerent.* J. Cæsar Scaliger Vir magni judicij existimat *nullas sibi visas ineptias in orbe majores, quàm saltationes.* Ludovicus Vives l. 1. de Instit. fæmin. Christ. expedire scribit, ut *nulla virginum Choreis assuescat*, addita historia, exteros aliquando in Germaniam venisse

venisse & saltantes è longinquo conspexisse, non audita musica, ideoque judicasse, Saltatores furore correptos nec propius furiosis istis accedere voluisse. Plerisque Calvinianis mens eadem perstat, quorum dux Calvinus Choreas titulo *meretriciæ lasciviæ* dehonestat. In cap. 14. Matth. Ita Veteres! Ita Recentes!

De Choreis quid statuendum.

Solent nonnulli, ut Choreas contra Senatum Patrum tueantur, exempla Sanctorum saltantium è SS. literis proferre. Saltarunt enim piæ matronæ, Exodi 15, 20. It. 1. Sam. 18, 7. Saltavit David coram arca 2. Reg. 6, 14. Sed hæ Choreæ omnes *Solitariæ* sunt. At SS. Patres Choreas *Socias*, quum viri mulieribus combinati mixtim subsultant, concorditer damnant. Harum verò in tota S. Scriptura ne unicum quidem exemplum reperitur. Ex nostra sententia SALTARE (sive solus sis sive alium sive marem sive fæminam, sive puellam sive uxorem, sive nubilem sive minorennem manu ducas) res PER SE INDIFFERENS est. *Est & tempus lugendi, est & tempus saltandi*, utrumque concessum Eccl. 3, 4. saltem nullibi in SS. prohibitum. Sicut autem actio omnis indifferens: sic & Chorea ex circumstantijs: *Quis, Quid, Ubi?* &c. venit æstimanda. Non improbamus choreas *honestæ recreationis* ergo præsentibus matronis ac viris honoratis factas. Sed *sit modus in rebus*! Detestamur Choreas cum *meretriculis*, in *tenebris* vel *angulo* remotis arbitris, explendæ aut proritandæ *libidinis* causa, inter impudicos complexus, venereos gestus, impuros tactus, lasciviendi animo institutas; cumque non rarò Choreis hæc & similia vitia vel eorundem occasiones cohæreant, prisci PP. prout *rigidi* erant *morum censores*, satius censuerunt Choreas omnes à Nuptijs proscribere; & fateor, siquidem usum & abusum Chorea-

rum

rum invicem conferas, non prorsus absurdè eos judicasse. Postulant iniquum, ut obtineant æquum, adeoque κατ' ἐπιείκειαν fuerint exponendi. Coronidis loco notamus, Veteres *Clerico* cumprimis indecoras Choréas statuisse. Hinc non Augustinus tantum Clericos, qui se *Choreis immiscebant*, perstringit, sed & in Concilio Agathensi can. 39. CHOREÆ PRESBYTERIS SVNT INTERDICTÆ.

A CHOREIS ad Veterum THALAMOS NVPTIALES progredior, quos horoica sæpe CASTIMONIA adornavit. Ne nunc dicam de Abstinentia primæ, imò & secundæ & tertiæ noctis, quam supra fidelibus in V. E. commendatam dixi. Exempla Castitatis Conjugum admiranda potius, quam imitanda suppetunt. Cum Continentiæ donum seculorum decursu magis magisq; sine modo & mensura laudibus in cælum veheretur, posito ob oculos exemplo ante N. C. inaudito *B. Virginis*, Matris Domini, quæ in Conjugio cum Josepho ἀειπαρθένος permansisset; Conjuges sunt reperti, qui Nuptijs peractis ex mutuò consensu per omnem vitam à maritali congressu religiosè abstinuerunt. Principes in hac classe Martianus Imperator & Pulcheria Augusta circa medium seculi (V) extiterunt. Nam Theodosio fratre ad cælum profecto Pulcheria se & imperium ea lege Martiano promisit, ut *jurejurando* polliceretur, se virginitatis ejus custodem futurum. Accepit Martianus cum imperio conjugem virginem fidemque & virginitatem illi, quoad vixit, sanctissimè servavit. Ratio, ob quam tale quid Pulcheria petere, erat; quòd *votum perpetuæ virginitatis* ante Nuptias edidisset, hujusque rei illustre monumentu'm *Sacram Mensam* auro & gemmis ornatam Ecclesiæ Constantinopolitanæ legasset, in qua hoc ejus votum grandioribus literis erat expressum, teste Sozomeno lib. 9. hist. eccl. & Evagrio l. 2. c. 1.

Castimonia Veterum post Nuptias.

Scio quidem in Hagiologiis vel Legendis Sanctorum

Q mul-

multos recenseri, qui virginitatem sub nomine Nuptiarum custodierunt. Sed horum fides sit penes Autores. Memoratu ex his dignum videtur, quod Georgius Turonensis de Gloria Confessorum c. 32. tradit, par conjugum fuisse, qui in virginitatem consenserint & castissimè vixerint; uxore mortua maritus in exequiis tumulum accessit, dicens: *Gratias Tibi, ô Deus, ago, quod uxorem tibi virginem modò restituam*; Cui uxor è tumulo subridens respondit: *Sile Vir Dei, sile! Cur nemine interrogante arcana nostra prodis?* Sed vereor, ne ut alibi, ita & h. l. *judicium* in Gregorio requiras, cui solenne est, alba linea miracula omnia signare, quæ in Apocryphis legit vel fando ab alijs accepit. Certè multa aliter, quàm ex rei veritate, æstimat, non animo fallendi, sed ex simplicitate. Vir enim fuit magnæ & nobilitatis, & simplicitatis, quod de eo censet Vossius Lib. de Script. Latinis.

Ex octavo seculo Edeldredam huc refero, quæ bis nupta in utroque matrimonio virgo perstitit. Prior enim maritus quia mala valetudine affectus, statim à Nuptiis vita excessit; Posterior Egfredus audiens in thalamo, Sponsam Christo Servatori virginitatem sacrasse, cum ea concumbere noluit, nec diu post Edeldreda cum consensu mariti in monasterium secessit, teste Polydoro lib 4. Hist. Anglic. Huic connumerari possit Richardis, Conjux Crassi, cujus maritus cum impotens esset, illa æquo animo Nuptiarum sibi negata debita pertulit. At cum Imperator adulterij crimen ei impingeret, quòd cum Luitvvaldo Episcopo familiarius eam agere, jocari, colludere vidisset, Richardis per obstetrices inspecta, virgo comperta in ardentem rogum cerata tunica insiluit, inq; eodem illæsa diu stetit in signum virginatis, qua evicta à Carolo marito discessit, suoque sumtu in Alsatia monasterium Virginum Virgo-Conjux extruxit; Auctore Sigeberto in Chronico ad A. 882. De

De cætero Historici Henricum Sanctum, & S. Künegundem mirificè commendant, quòd post Nuptias juratum pactum inierint, se unà quidem victuros, sed nunquam nec alteri nec sibi invicem concubituros, quod & sanctè præstiterunt. ideoque in Canonem sanctorum post mortem sunt adscripti. Suspecta aliquando de violato Nuptiarum fœdere Künegundis in solenni Principum conventu *septem vomeres candentes* sine ulla manuum noxa Cæsari apportavit, innocentiam miraculo professa. Hinc nati versiculi:

Judicio vomerum Cunegundis virgo probatur,
Quod cœtus Procerum mirans ipsam veneratur.

Vid. Aventinus l. 4. Annal. Bajorum & Alberti Cranzij Historia Saxonica. Similem continentiam de Poleslao Polonórum Rege commemorant, inde *Pudici* cognomen indepto. Unde Clemens Janitius:

Conjuge consenuit cum Virgine Virgo maritus
Addictus studiis casta Maria tuis.

Heroica est hæc Conjugum castitas, sed cui cum primario Conjugij fine, qui est procreatio sobolis, minùs convenit, ex nimio Veterum continentiæ zelo oriunda. Verùm de Heroicis Majorum factis absit ut sinistrè judicemus, Vera inter hos (Abstinentes licet Conjuges) Matrimonia fuerunt; neque enim concubitus matrimonium facit, sed consensus.

Superest ut de Veterum REPUDIIS ac DIVORTIIS agamus, sed paucis. Repudium à divortio alii distinguunt, ut illud sit solutio matrimonij, quoad THORUM, MENSAM & VINCULUM; hoc quoad Thorum & Mensam. Sed nobis circa voces scrupulosis esse non vacat. In V. T. libellos repudij (Scheidebrieffe) frequentes fuisse notum est ex Deut. 24, 1. & seqq. Nos ad tempora N. T. oculos deflectimus, in quibus Servator uxorem non dimittendam

De Repudiis & Divortiis Veterum

dam statuit παρεκτὸς λόγυ *extra rationem scortationis* vel εἰ μὴ ἐπὶ τῇ πορνείᾳ *nisi ob fornicationem*. Matth. 5, 32. & c. 19, 9. Sed præter adulterium alia adhuc, eaque justa divortij causa est *malitiosa desertio*, teste Paulo 1. Cor. VII, 10. quod ne verbis Christi, qui NISI casu adulterij, uxorem non dimittendam dixit, contrarium existimes, notabis à Christo notanter dictum παρεκτὸς ΛΟΓΟΥ τῆς πορνείας h. e. extra adulterium vel RATIONEM adulterij h. e. similem aliquem gravissimum casum, cujus cum adulterio par sit ratio, prout eruditè Christi verba cum Paulinis conciliat Nicol. Hemmingius in libello de Conjugio, Repudio & Divortio.

De Nuptijs post divortia concessis.

Si qua Conjugia essent disrupta, parti innocenti ad alias Nuptias transire fuit integrum. Hujusmodi iterata matrimonia Synodus Neocæsar. A. 311. (prævia tamen Pænitentia) apertè concedit can. 7. Sed cur Pænitentiam innocenti injungunt? Videntur. PP. Neocæsareenses in sententia S. Augustini fuisse, qui virum, uxore ob adulterium dimissa, ad alias Nuptias transeuntem, VENIALITER peccare affirmat. lib. de Fide & Oper. c. 19. In Concilio Mevilitano can. 17. *à marito dimissa* prohibetur, *ne alteri conjungatur*. Sed evidens est, de parte *nocente* Milevitanos loqui. Hæc enim propriè *dimissa*, innocens autem est *dimittens*; quin & (quod apprime notandum) in divortiorum causa LEGEM IMPERIALEM desiderant, ut proinde usque in seculum quintum nihil certi per Imperium hac in causa sit constitutum. Sed nec pòst lex civilis lata est, qua Nuptias agere post legitima divortia Christiani vetarentur, imò Carolum M. Ludovicum, Lotharium &c. Impp. germanos hæc matrimonia comprobasse, Duraenus de Divortiis dudum evicit.

Multi quoque Patrum palàm nobis consentiunt. S. Ambrosius,

brosius vel quisquis Autor sit, vetustus tamen Comment. in 1. Cor. 7. licet *mulieri* non permittat, *ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit aut apostasiæ aut si illicitum impellente lascivia usum quærat uxoris, quia inferior non omnino hac Lege utitur, qua potior --sed VIRO* (ait) *LICET DUCERE UXOREM, si dimiserit peccantem, quia non ita lege constringitur vir, sicut mulier,* quanquam nos putemus, quod quoad uxorem æque ac maritum utrique par sit licentia, utriusque par ratio. Equidem non ignoro, Patres, quos Bellarminus lib. 1. de Matrim. c. 14. producit, de Nuptijs vivente uno conjugum (licet sua culpa repudiato) minus honorifice sensisse ideoque *consilia* dedisse, *ne viventibus uxoribus, licet adulteris, Christiani alias acciperent,* ut loquitur Synodus Arelatensis A. C. 326. imò *Pœnitentiæ Eccl.* has Nuptias subjecisse. Memorat S. Hieronymus Epist. ad Occanum, Fabiolam post legitimum divortium, vivente marito alteri nupsisse ideoq; publicam pænitentiam egisse. Negat autem eo ipso mortaliter peccasse, & affirmat LL. Civilibus, imo sententiæ Apostoli conformiter fecisse, dicentis: *Melius est nubere, quam uri.* Pænitentiæ in hoc casu impositæ ratio fuit gemina: prior, quòd hæ nuptiæ contra RIGOREM Evangelii viderentur, quo edicitur: *Uxor alligata est viro, quamdiu vir ejus vivit;* posterior quòd signum incontinentiæ alicujus aut levitatis eas censerent, etsi neutra ratio sit adæquata.

Interim si quis in Vet. Eccl. divortio facto Nuptijs iterandis insistere, hunc SS. Patres, venialiter peccare, sed invitum à Nuptijs non, prohibuerunt, testantibus Tertulliano l. contra Marcion. c. 5. Hilario can. 4. in Matthæum, Autore Operis Imperfecti homil. in Matt. 32. Chrysostomo, Enthymio, Augustino, Theophylacto &c. Verba omnium Sixtus Senensis) licet ipse in communi cum pontificijs sit sen-

tentia, *matrimonium, quoad VINCVLVM solvi non posse, nisi morte)* lib. 6. Biblioth. Sanctæ annot. 81. allegat, fateri autem cogitur, multos veterum divortia (quoad *vinculum* vel ut ipse ait *à contubernio & connubio*) *promulgatis decretis non quidem perpetuis, sed ad tempus* (ita limitat) *idque certis nationibus ac gentibus concessisse, addit aliquos veterum*, nempe Tertullianum & Ambrosium *certò & indubitato repudii licentiam comprobasse*, quo posito Nuptias post repudia olim permissas constat.

De causis Repudii in Vet. Eccl.

Causas Repudii ex S S. Antiqq. indagaturi prænotamus in Canonico Jure Divortii causas carmine exhiberi istas:

Error: Conditio: Votum: Cognatio: Crimen:
Cultus disparitas: Vis: Ordo: Ligamen: Honestas:
Si sis affinis: Si forte coire nequibis:
Hæc socianda vetant Connubia, facta retractant.

Sed Divortium Canonistis non est, nisi quoad *Thorum* & *Mensam*. Nos hîc causas dissolutionis, quoad *vinculum* inquirimus. Veteres hæretici Ebionitæ (Niceph. lib. 4. hist c. 22.) Cataphryges & Peputiani à Montanistis edocti (Eus. l. 5. hist. c. 15. & 28.) Messaliani vel Euchetæ (Epiph. hær. 30.) Bogomilij (Euthym. p. 2. Panopliæ) ob leves causas, sæpe pro conjugum arbitrio vincula Nuptiarum rescideiunt. Similem Repudiorum frequentiam Græcis Possevinus Cap. de Diffid. Græc. & Ruth. atque Abassinis Fr. Alvarez supra adductus objiciunt. In Vet. Eccl. Theodosius Iunior, Imperator optimus, ineunte seculo V. varias Repudij causas, puta *adulterium, homicidium, veneficium, latrocinium, sacrilegium, crimen falsi, crimen læsæ Majestatis, commercia cum impudicis personis, uxore spectante, insidias veneno aut gladio structas, vel si uxor extraneorum convivia appetat, invito marito foris pernoctet, vel spectaculis in arena, ludisve* in circo vel theatro *operetur* &c. Cap. de RE-

PUDIIS

PVDIIS. L. Consensu, statuit Paucis detractis similes ferè divortij rationes legitimas censuit Iustinianus in Authent. *Vt liceat Matri*.

Verùm in Ecclesia religio fuit extra casum *adulterij* Nuptiarum fædera dissolvere, quod ex priscis Canonibus Gratianus in Decreto confirmat Causa 32. q. 5. Cap. 18. & seqq. Inter hos est can. 8. Concilij Toletani XII. *Praeceptum Domini est, ut excepta causa fornicationis uxor à viro dimitti non debeat, & ideo quicunque citra culpam criminis jam dicti uxorem suam QVACVNQVE OCCASIONE dimiserit, ab Ecclesiastica communione privetur & ab omnium Christianorum cætu maneat alienus, donec societatem relictæ conjugis amplectatur*. Et ne quis Concilium hoc sequiori seculo habitum cavilletur, en tibi S. Augustinum, qui de Serm. Domini in monte l. 1. c. 32. jubet conjuges *pro fide & societate nuptiali sustinere, QVICQVID (excepta fornicatione) COGITARI POTEST, etiamsi VEHEMENTER HORRIBILE*. Loquuntur autem pij Veteres de Divortio, in quo pars innocens se habet *activè* & *repudiat* vel deserit. Hujus causa *unica* est ADVLTERIVM. Alia ratio divortij est, in quo pars innocens se habet *paßivè* h. e. *repudiatur* vel temere & injuste ac malitiosè *deseritur*, qualia divortia Paulus 1. Cor. 7. probat. Hæc de REPVDIIS Doctrina Veterum, hæc antiqua Praxis, qua hunc de Nuptiis Veterum Christianorum libellum obsigno.

Deus PATER, Nuptiarum in Paradiso venerabilis Autor; JESUS CHRISTUS, animæ nostræ desideratus Sponsus; SPIRITUS S. qui cum J. Christo nos copulat quiq; ipse est *arrha* Spei nostræ, DEUS ter Sanctus, qui Nuptias seminaria illa Ecclesiæ Reique publicæ contra Asmodæum & quosvis Nuptiarum hostes seculis omnibus defendit

fendit & de Nuptijs Ecclesiam in terris adhuc plantat, piorum Conjugum Nuptijs propirius porto adsit! affatim è cælo benedicat! prospera omnia largiatur! tandemque nos cum Patribus nostris, quorum Nuptias hoc libello conspeximus; imo & cum liberis nostris, quos de Nuptijs suscepimus, ad NVPTIAS AGNI, quarum æterna est & ineffabilis solennitas, omnes ac singulos olim introducat! Hæc voti nostri Summa, Hic vitæ ultimus est

FINIS.

De cætero

SOLI DEO GLORIA

